ſonitum tubarum concurrentes. Intereà qui Agathoclis par- A tes ſequebantur ſpacium nacti, tutiſſimè evaſerunt in vallum. Sic igitur Agathocles, non ſolùm ſuos, verùm etiam auxiliarium ſeptingentos viros inopinatò conſervavit. *Diodor. lib.*19.

Q. Minutius Thermas Coſſ. in Liguria motis caſtris in hoſticum iturus, mediis anguſtiis à fronte, & à tergo Ligures eſſe ſenſit. Caudinæ cladis ſpecies admota erat militum oculis, cùm periculum extremo auxilio eſt diſcuſſum. Erat in caſtris Numidarum equitum ala, hujus præfectus permiſſis, & hortatu conſulis, hoſtium ſtationes ſine tumultu adequitavit. Erant interim ſpectantibus Numidæ ludibrio, equi, homineſque pauxilli, & graciles, diſcinctus, & inermis eques, nihil præter jacula habens, equi infrenes, deformes, rigida cervice, & capite in curſu extento. Ubi verò hi ad jactum teli propinqui hoſtibus fuere, nunc procurſum ſimulantes, nunc recurſum, paulatim ſeſe inſinuarunt. Poſtremò concitatis uno tempore equis, clamoreque ſublato, per medias hoſtium ſtationes, trepidantibus magis Liguribus, quàm tela expedientibus, in apertum evaſerunt. Ipſi paſſim in hoſtico incenſis villis omnia igni, & rapina fœdantes, hoſtem ad ſua tuenda ex præſidio retraxerunt, atque ita conſul obſidione liberatus, in apertum copias eduxit. *Sab. l.6. En.5. & Front. l.1. c.5.*

B C. Com. Coſſus conſul duxerat incautè exercitum in ſaltum cava valle pervium, & ab hoſte undique jam anteà ſeceſſum, nec priùs Samnitem capiti imminentem advertit, quàm eo uſque proceſſum erat, ut in tutum ſigna ampliùs referri non poſſent. Dum Samnites conferunt inter ſe, qua ratione in ſubjectum hoſtem explicent aciem, P. Decius tribunus militum, ſaxoſum jugi verticem intuitus hoſtium ſtationibus imminentem, præruptum, & aditu difficilem armatis militibus, leviter tamen inſtructis haud inacceſſum, per averſa loca montis inſinuatus, priùs locum tenuit, quàm ab hoſte ſit conſpectus. Tum Samnitibus novitate rei ſtupentibus, nec ſe interim movere auſis, Conſul per otium copias in æquiorem locum, extra ſaltum eduxit, & media nocte per hoſtium ſtationes incolumis erupit. *Sabellicus l.3. En.4.*

Idem fecit ſub Attilio Catilino Cos. is cujus variè traditur nomen: alii Liberium, nonnulli Q. Cæditum, plurimi Calphurnium vocarunt. Hic cùm dimiſſum exercitum in eam vallem videret, cujus latera omnia ſuperiora hoſtis inſederat, depopoſcit, & accepit trecentos milites: quos adhortatus, ut C virtute ſua exercitum ſervarent, in mediam vallem decurrit, & ad opprimendos eos undique deſcendit hoſtis, longoque, & aſpero prelio retentus, occaſionem conſuli ad extrahendum exercitum dedit. *Front. l.4. c.5.*

Acilius Glabrio Coss. adversùs Antiochi Regis aciem, quam in Achajam per anguſtias Thermopylarum direxerat, iniquitatibus loci non territus tantùm, ſed cum jactura quoque repulſus fuiſſet, niſi circummiſſus ab eo Portius Cato (qui tum tribunus militum à populo factus in exercitu erat) dejectis è jugo Callidromi montis Ætolis, qui præſidio tenebant, ſupra minentem caſtris regiis collem, à tergo ſubitus apparuiſſet. Eo enim facto perturbatis Antiochi copiis utrinque irrupere Romani: & fuſis, fatigatiſque caſtra ceperunt. *Front. l.2. c.6.* De hoc ipſo ſic ſcribit *Plut. in Catone.* Poſtquam ſaltum Thermopylarum obſepſit Antiochus Magnus copiis ſuis, locumque natura munitum, vallo muroque firmavit, atque ibi conſedit, bellum excluſiſſe ratus, à fronte perrumpere prorſus deſperabant Romani. M. Cato verò Tribunus militum revocata in mentem circuitione, & ambitu Perſarum, nocte cum parte copiarum profectus eſt ex caſtris, & ſumma D difficultate callem ad caſtra hoſtium deducentem reperit. Inde ſtricto gladio ex rupibus in hoſtes invectus, clariſſimæ victoriæ anſam M. Attilio Coſſ. ex inferiore loco munimenta oppugnare præbuit.

Fridericus I. Imp. dum per Veronenſem agrum remeat in Germaniam, in itineribus anguſtis, quæ Veronenſibus clauſuræ Volerni dicuntur, locatas quingentorum militum inſidias, & pontem quendam dolo fabrefactum, aſtu ſuperavit. Corrupit enim pecunia ruſticos, ut in devia loca, vix hominibus permeabilia, milites ſuos perducerent. Ibi inſidiatores, qui lapidibus exercitum imperatoris erant obruituri, ſexcenti capti, & diris, & ſuppliciis affecti. *Cuſpinianus.*

Gatta Mellita Venetarum copiarum ductor. ☞ *Vide ſuperiori Tit. §. Abitus ſimulatione.*

Ferdinandus Mauros ad Anticheram Granatæ urbem magno prælio vicerat. Chriſtiani Anticheræ vicini ad tria millia prædam ex Saracenorum agris abigebant. Granatenſes ludibrio ſe viciniſ eſſe, ægrè ferentes, facta manu E palantes cædunt, & in montem arduum fuga actos obſident. Elapſi erant per medios hoſtes è monte trecenti numero cum tubicinibus: qui cum longo ambitu montem circuiſſent, obvium habent adoleſcentem quendam Petrum Mendozam, majoris quàm pro ætate conſilii, & roboris. Hunc alii, ſeu quòd parcerent, ſeu quòd diffiderent ætati, ſecum educere recuſarant. Eam contumeliam non tolerans adoleſcens, inſequenti nocte cum aliquot equitibus prædatum domo egreſſus, affirmans ſe facturum periculum, an illa in ætate vir eſſet, cùm ad montem cladis ſuorum ignarus perveniſſet, trecentos illos habuit obvios, & de clade accepta certior factus, hortantes eoſdem, ut ſecum feſtinatio rediret, ipſe è contrariò, ut ſecum potiùs irent ad cives obſidione liberandos perſuaſit. Itaque diluculo cùm ad montem propriùs acceſſiſſent, & ſociis ſeſe oſtendiſſent; ſocii dolo percepto omnes ſtrictis gladiis decurrunt, & hoſtes ſemiſomnes invadunt. Qui duplici clamore, & clangore circumventi, prædam, quam manibus tenebant, amiſerunt, Mendozæ virtuti honor habitus, ut quæcunque vellet, ex præda eligeret, aut ſi mallet, omnia ſumeret. At is prædam diſtribui juſſit, ſibi, ſociiſque ſuis trecentis tertiam partem, reliquas virilibus partibus inter ſe dividendas cenſuit, quando periculum, labor, induſtria F extitiſſet, *Laur. Vall. lib. 1. Hiſtor.*

Deorum, vel Captivorum objectu.

Iphicrates in Thracia multos Odryſiorum ceperat Hoſtes, vehementer jaculando, & ſagittando inſtabant. Ipſe verò juxta ſingulos, qui primam aciem tenebant, nudum aliquem captivum manibus in tergum revinctis, collocavit. Odryſienſes, ne ſuis vulnera infligerent, à jaciendo, & jaculando deſtiterunt. *Polyæn. l.3.*

Agesilaus Lacedæmonius, cùm præda onuſtus ex Phrygia rediret, inſequerenturque hoſtes, & ad locorum opportunitatem laceſſerent agmen ejus, ordinem captivorum ab utroque latere exercitus ſui applicuit. Quibus dum parcitur ab hoſte ſpatium tranſeundi habuerant Lacedæmonii. *Front. l.1. c.4. & Polyæn. l.2.* qui in Aſia hoc factum ſcribit.

L. Æmilius Paulus Coss. cum in Lucanos juxta litus anguſto itinere exercitum duceret, & Tarentini in ea claſſe inſidiati, agmen ejus ſcorpionibus aggreſſi eſſent, captivis latera euntium prætexuit: quorum reſpectu hoſtes inhibuere tela. *Front. l.1. c.4.*

Cambyses animalia, quæ Ægyptii pro diis colunt, exercitui ſuo circumdedit, & Peluſio potitus eſt, Ægyptiis G metu violandorum deorum hoſtes non prohibentibus. *Polyæn. l.7.*

Carolus Magnus ſimili ratione Budam veterem, ſeu Sicambriam Urbem Hungarorum cepit. Oppugnans enim eam à Danubio navibus, ab altera parte aciem inſtruxit ex Ungaris jam captis. Cùm autem oppidani in ſuos vererentur tela mittere: Franci propiùs ad muros accedentes, & conſcendentes, urbem cepere. *Regin. lib.2. Sigebertus, Bonfinius Decad.1. lib.9. Avent. lib.4. Saxoniæ cap. 16. Crantz. l.2.*

Petrus Luna Catalanus, Avenione Pontifex electus, & Benedictus XI. vocatus, à Franco milite, regioque Prætore obſideri, oppugnarique cepit: edictumque, ne quis ſacra beneficia, expectationumque munera ab eo peteret. Qui eum ſequerentur, iis interdictum jure vectigalium, reddituumque Eccleſiaſticorum. Proinde ſeceſſio ab eo facta, & ſolitudo circa eum. Quo metu, ignominiaque permotus, ne à quoquam violaretur, ſacroſanctum Domini corpus præ ſe ferens, in Catalaniam ad natales ſuos, Tarraconenſeſque conceſſit. *Æmil. l.10.* H

Prædæ, Pecuniarum, Impedimentorum objectu.

Xenophon Græcos domum reducens, equitibus Tiſſaphernis in jumenta invadentibus conſilium dedit, ut currus, & ſuperfluum apparatum impedimentorum relinquerent: ne Græci pro his pugnantes mortem oppeterent, & progredi ulterius prohiberentur. *Polyæn. l.1.*

Philippus, Abderitarum, & Maronitarum occupata regione, revertebatur cum navium magno apparatu, & pedeſtribus copiis. Chares circa Neapolim inſidias navales habebat, cum xx. triremibus, Philippus delectis juvenibus, in quatuor remiges impoſuit, arte, atque robore præſtantiſſimos: & mandatum iis dedit, ut priores claſſem univerſam educerent, atque Neapolim præterlegerent, neque longè à terra recederent. Eas dum Chares cum ſuis inſequitur, Philippus tutò Neapolim præternavigavit. *Polyæn. l.1. & 4.*

Thryphon

Tryphon Syriæ Rex victus, per totum iter fugiens, pecu- A niam ſparſit: eumque ſectantes Antiochi equites moratus effugit. *Front. l.2. c.12.*

Galli pugnaturi cum Attalo, aurum omne, & argentum certis cuſtodibus tradiderunt: quibus, ſi acie fuſi eſſent, parceretur, quo faciliùs colligenda præda hoſtem impeditum effugerent. *Front. l.2. c.13.*

Mithridates ad Cabiras à Lucullo victus, cùm nemo apud eum ne apparitor quidem, vel equiſo remanſiſſet, in caterva ſe cæterorum extulit caſtris, ac ne equum quidem ex regiis ad manum habuit. Verùm cùm ſerò tandem in fluctu fugæ illius conſpexiſſet jactatum eunuchus Ptolemæus, cui equus erat: deſiliit, præbuitque equum Regi. Jam enim premebant eum inſtantes Romani. Neque defuit celeritas his ad eum comprehendendum, ſed penè tenebant. At avaritia, & ſordes militares multis certaminibus, magniſque periculis diù captatam prædam Romanis eripuere, Lucullumque victoriæ præmio fraudavere. Jam enim propè in manibus inſtantium equus, qui Mithridatem avexit, erat: cùm intereà mulus ex iis, qui gazam Regis portabant, conjecit ſe inter Regem, & conſectantes: ſive ſponte ſeſe obtulit, ſive B de induſtria Rex objecit eum inſequentibus. Ita illi rapiendo, colligendoque auro, atque inter ſe digladiando ceſſaverunt illum corripere. Itaque ad Tigranem generum in Armeniam evaſit. *Plut. in Lucullo, Polyæn.* verò *l.7.* ſupellectilem regiam univerſam foras prolatam extra ædes in quibus habitabat, irrumpentibus Rom. veluti eſcam objectam ſcribit.

Habeis Sultanus Ægypti, cùm interfecto Calipha Chairenſe, regiaque occupata, gazam invaſiſſet: eoque nomine à ſubditis in regia obſideretur, ſparſis nummis, rebuſque precioſiſſimis in turbam, effugit hoſtes obſidentes. Qui poſitis armis ad rapiendum undique concurrentes, parricidæ effugiendi occaſionem dederunt. *Æmil. lib. 4. ſub Lud. Juniore.*

Frotho Danorum Rex, Britanniam invaſerat, prædaque multa coacta, à Scotis, & Britannis petebatur. Ergo præda omni per agros ſparſa, Britannos, dum in ea colligenda occupantur, ab inſequendo cohibuit. Mox cum Scotis pace facta, Britannos ſecuros cæcidit, prædamque cum auctario recepit. *Saxo l.2.*

Vergusius Lauda à Vice-comitum amicitia adverſarum partium copiis ſe adjungens, Mediolanum tanta celeritate occupavit, ut Actius Vicecomes Galeacii F. breve ad fugam ſpa- C cium nactus, ægrè hoſtium manus evaſerit, adjuvante præſertim matre Beatrice, quæ tam ſubito, quàm ſalutari conſilio effuſis in limine domus aureæ monetæ ſacculis, intrantes, dum eam avidè colligerent, aliquamdiù morata fuerat. *Jovius in vita Actii.*

Dum Venetus exercitus, duce Francisco Gonzaga Mantuano Principe, unà cum Sfortiæ Ludovici copiis, confertam, & inſtructam Caroli IIX. Galliæ Regis, ex ſubacto regno Neapolitano patriam repetentis, aciem ad Tarum fl. adorirentur: Græci equites, qui primum agmen invaſerant, cum à cataphractis nequicquam circumfuſi undique pellerentur, & Annonius, atque Buſichius eorum præfecti, viri acres, vulnerati prœlio exceſſiſſent, converſis repentè equis ad diripienda impedimenta convolarunt: quæ monitu Trivultii Gallici exercitus ducis de induſtria hoſtibus objecta fuerant, ut illis præda occupatis Regi tranſitus expeditior, atque facilior redderetur. Ibi lixæ, calones, & fœminæ, mulioneſque inter jumenta, cadenteſque ſarcinas fœdè jactati, ac dum repugnant, vel rapientes impediunt, promiſcuè cæſi, impedimentaque ferè omnia capta, direptaque ſunt. Is tumultus, D quòd diſſonis tot gentium clamoribus cuncta preſtrepebant, è proximo peditum Italorum cohortes etiam excivit, quæ prædæ pariter avidæ, ordines nullo pudore deſerebant. Tum verò inter ſocios cruentum admodùm, & miſerabile certamen exortum, cùm regiam gazam alii in diverſa traherent, alii à validioribus oppreſſi, in ipſis prædæ complexibus cæderentur. Ea res omnium conſenſu Gallis ſalutem peperit. *Jovius l.2. Hiſtoriarum.*

Tempore.

Hannibal ubi ad Alpes æternis damnatas nivibus pervenit, & editiſſimos tumulos à montanis inſideri vidit: Gallorum ſociorum exploratione edoctus, interdiù tantùm obſideri ſaltum, nocte in ſua quemque dilabi tecta, luce prima ſubiit tumulos, ut ex aperto, atque interdiù viam per anguſtias facturus. Die deinde, ſimulando aliud quàm quod parabatur, conſumpto, communitis caſtris, ubi primùm digreſſos tumulis montanos, laxataſque ſenſit cuſtodias, pluribus ignibus quàm pro numero manentium in ſpeciem factis, impedimentiſque cum equite relictis, & maxima parte pedi- E tum, ipſe cum expeditis acerrimo quoque viro raptim anguſtias evaſit: iiſque ipſis tumulis, quos hoſtes tenuerant, conſedit. *Livius Decadis 3. l.1.*

Viæ errore: aliam ſimulare, aliam inſiſtere.

Moyses Dux ſummus, dum Iſraelitas ſervitio vindicat ex Ægypto profecturus, viarum diſpendio hoſtem ludificare conatus, cùm per Arabiam compendioſum iter pateret, ad effugium in Æthiopiam flexit iter, quæ maximè Chananææ erat terræ, quæ decreto petebatur, averſa ſed hoſtis falli non potuit; tamen medio conatu extingui, & quem terræ cohibere non potuerunt, cohibuit mare, Judæis alioqui pervium. *Sabellicus, l.6. c.6.*

Nicostratus, Dux Ætolorum, adversùs Epirotas, cùm aditus in fines eorum anguſti eſſent, per alterum locum irrupturum ſe oſtendens, omni illuc ad prohibendum occurrente Epirotarum multitudine, reliquit ſuos paucos, qui ſpeciem remanentis exercitus præberent: & ipſe cum cætera manu, quà non expectabatur aditus, intravit. *Front, lib.1. cap.4.*

Pammenes per Phocidem Thebas versùs exercitum ducebat. Hoſtes Philobœotum caſtellum occuparant, ad quod duę viæ ducebant, quarum cùm altera jam hoſtium præſidiis teneretur, Pammenes rectis ordinibus in profundum dedu- F ctis, exercitumque ad proficiſcendum amplificatum ita inſtruxit in dextro latere, quaſi in eam partem ducturus. Illi relicta parte ſiniſtra, ad dexteram deflectebant, ut profectionem impedirent. Ille ad ſiniſtram incitato curſu cum ſuis properans, copias ſine omni periculo traduxit. *Polyæn. lib.5.*

Agesilaus cùm audiſſet Thebanos ad Scholum tranſitum obſidere, omnes legationes à Gręcis miſſas, Theſpiis remanere juſſit: quinetiam commeatum exercitus eodem comportare. Thebani his auditis, traduxerunt copias ad tranſitum contra Theſpias, atque ibi viam obſederunt. Ageſilaus duorum dierum itinere per biduum confecto, tranſitum ad Scholum inanem, ac vacuum inveniens, ſine pugna tranſgreſſus eſt. *Front. lib.1. cap.4.*

Idem in Thebanum agrum irruptionem fecit. Thebani campum foſſa circumducebant, & vallo muniebant. Utrinque duo tranſitus anguſti. Volens Ageſilaus tranſire quadrato agmine, cavoque, proceſſit ad tranſitum ab læva ſitum. G Thebanis hìc omnibus reſiſtentibus, ille à cauda duxit ad alterum tranſitum, ubi nemo erat, qui arceret. Ingreſſus, regionemque depopulatus nemine reſiſtente, iterùm diſceſſit. *Idem.*

Aristides Eleates, Dionyſio Cauloniam oppugnante, cum XII. triremibus adnavigabat. Qui cùm re intellecta cum XV. navium implementis contra ſolveret: Ariſtides revertens diſcedebat, & ingruente nocte juſſit faces tollere, quas Dionyſii naves ſequebantur. Paulatim his abſtractis facibus, alias in mare ſubmiſerunt magnis ſuberibus adaptatas, & à lumine in obliquum ſe convertentes, ad Cauloniam adnavigaverunt, Dionyſio cum ſuis ad ſuberum ſplendorem curſum dirigentibus. *Polyæn. lib. 6.*

Pericles Athenienſis, à Peloponnenſibus in eum locum compulſus, qui undique abruptis cinctus, duos tantùm exitus habebat: ab altera parte foſſam ingentis latitudinis duxit, velut hoſtis excludendi cauſa: ab altera militem agere cœpit, tanquam per eum erupturus. Ii, qui obſidebant, cùm per foſſam, quam ipſe fecerat, exercitum Periclis non crederent evaſurum, univerſi à limite obſtiterunt: Pericles pontibus, quos præparaverat, foſſæ injectis, ſuos, quà non reſiſtebatur, emiſit. *Front. lib. 1. cap. 5.*

Platæenses à Lacedæmoniis, & Thebanis oppugnabantur. H Viri ducenti Platæenſium obſervata nocte tenebricoſa, & procelloſa, reliquis civibus præceperunt, ut in contrariam partem murorum aſcenderent, ibique pugnam facerent, quòd per eum locum extrinſecùs Lacedæmonii irruptionem facerent. At ipſi in altera parte muros ſuperarunt: neque verò Athenas ducentem viam ingrediebantur, ſed Thebas versùs, quòd per eam hoſtes minimè inſecuturos putarent. Sic enim etiam accidit. Lacedæmonii per Cithæronem perſequebantur. Platæenſes à via Thebaica paulùm declinantes, Thebas venerunt, atque inde Athenas uſque evaſerunt. *Polyænus lib.6.*

Iphicrates Dux Athenienſium, adversùs Anaxibium Lacedæmonium in Helleſponto circa Abydon, cùm tranſducendū exercitum haberet per loca, quæ ſtationibus hoſtium tenebantur, alterum autem latus ejus tranſitus abſciſſi montes (montē ſanctum Polyænus vocat) premerent, alterum mare ablueret:

aliquandiù

aliquandiu moratus, cum incidiſſet frigidior ſolito dies, & ob A hoc nemini ſuſpectus, delegit firmiſſimos, quibus oleo, ac mero calefactis, præcepit, ut ipſam oram maris legerent, abruptiora tranarent: atque ita cuſtodes anguſtiarum inopinatus oppreſſit à tergo. *Frontin. l.1. c.4. & Polyæn. l.3.*

Idem victus cum paucis, in locum aſperum, & plenum arboribus confugit. In eo cùm obſideretur, præcepit noctu, ut ab altera parte tumultum ederent. Hoſtibus ad tumultuantem partem converſis, ipſe nemine prohibente per alteram exivit. *Polyæn. l.1.*

Alexand. Magnus, cùm Theſſali Tempe præſidiis impoſitis obtinerent, ſuffoſſis præcipitibus Oſſæ petris, & effectis exiguis gradibus, per eos ipſe, & Macedones aſcendentes in juga evaſerunt: atque Oſſam tranſgreſſi, Theſſaliam occupaverunt, Theſſalis Tempe anguſtias tenentibus. Etiamnum videre eſt iis, qui Tempe perambulant, petras Oſſæ in ſcalarum modum ædificatas, quam ſcalam Alexandri appellant. *Polyæn. l.4.*

Clodius prætor contra Spartacum in Campania ex urbe cum tribus millibus militum miſſus eſt. Obſidente illo ſervos in monte, qui unum habebat, aſperumque, & anguſtum aſcenſum, quem obſepſerat ſtatione, cæteris partibus ab- B ruptas rupes, aque crepidines, frequenti autem labruſca erat in ſupercilio veſtitus: ex ea palmites, qui eſſe uſui poſſent, ſecuerunt, ſcalaſque complicaverunt validas, & longas: ut ſupernè ex rupe ſuſpenſæ pertingerent ad planiciem. His ſine periculo deſcenderunt præter unum, qui armorum cauſa remanſit. Ubi deſcenderunt, demiſit ea, inde omnium poſtremus evaſit ipſe quoque. Hæc latuerunt Romanos. Quare adorti eos ſunt, ac repentino adventu perculere, pulſiſque his caſtra cepere; *Plut. in Craſſo, & Frontinus.*

Lumine.

Ammianus Marcellinus, cùm noctu inſequentes Perſas fugeret, atque latebrarum ſpes nulla maneret, in equo ſe lumen deligaſſe ait, cumque ad dextram, qua in parte planicies erat, direxit: ipſe autem cum aliis, qui cum eo erant, in lævam converſus ad montes, vim hoſtium, qui lumen ad dexteram ſequebantur, effugit. *Fulg. l.7. c.4.*

Cùm urbe Genua civilibus bellis lacerata, Guelphos, qui in urbe rerum potiebantur, Gibellini exules infeſtarent: Aitonus Auria, XIV. triremibus, Fridericum Marabottum Guelphum, qui ſeptem tantum habebat, vehementer inſectabatur: C Cùm autem nox ſuperveniſſet, neque jam longè à Tyro abeſſent, Marabottus, qui jam penè omnem ſalutis ſpem amiſerat, novo aſtu ſalutem ſibi peperit. Nam cùm maritimus in claſſe mos eſſet, ut per noctem ſolus triremium primarius dux in puppi ſua lumen deferret apertum, ut aliæ naves eum aſſequi ſcirent: ipſe cùm ante ſuos commonuiſſet, ea nocte ſe ad Maraliam navigaturum eſſe, lumen in laterna clauſum, clypeo tanquam cymbæ alligavit, atque in mari defixit, triremiſque ſuæ conſuetum lumen extinxit. Cùm autem, ut maris natura eſt, undæ clypeum cum laterna ad terram ejeciſſent, hoſtes arbitrati Fridericum deſperata ſalute in terram triremes impegiſſe, mutata navigatione, ab eo curſu, quem ante tenebant naves, ad lumen, quod in laterna clypeus habebat, direxerunt: atque ita eluſi Fridericum amiſerunt. *Idem.*

Tenebris.

Jugurtham Regem Numidarum, conſtat, memorem virtutis Romanorum, ſemper inclinato die committere prælia ſolitum: ut ſi fugarentur ſui, oportunam noctem haberent ad delitescendum. *Front. l.2. c.1.*

D PRUDENTIÆ MILITUM CONSULERE, UT HOSTES A SUIS, HOSTIUMQUE impetum, & conatus cognoſcant, & dignoſcant.

TESSERA BELLICA.

☞ *De Teſſera bellica egimus inter Fortuita. Hic quatenus Prudentia in ea vel excogitanda, vel uſurpanda deprehenditur.*

Acues Lacedæmoniis Tegeam per proditionem noctu occupantibus, ſuis militibus ſignum dedit, ut interficerent eos, qui teſſeram requirerent. Arcades igitur non rogabant: Spartiata verò tanquam noctu ſuos non agnoſcentes, & idcircò quærentes ſignum, ab Arcadibus interfecti ſunt. *Polyæn. l.1.*

SIGNIS MILITARIBUS.

Ferunt Ægyptios veteres, apud quos nulla eſſet militaris diſciplina, cùm à vicinis ſæpiùs bello ſuperarentur, excogitaſſe ferre aliquod inſigne, quod milites ſequerentur. Figuras E igitur animalium in talibus pictas, duces eorum in bello tuliſſe: eaque ex re cognito, ſervatoque, ſub quo quiſque militaret ordine, victoriam conſecutos. Igitur viſum eſſe gratiam his animalibus tanquam victoriæ auctoribus reddi, ſtatutumque, nefas eſſe quodpiam eorum, quorum imago delata fuerit occidi: ſed coli potiùs debere, honoreque affici. *Diodor. l.1. c.7.*

ARMIS, VESTIBUS.

Terra alba uſos Veteres in ſe, armiſque ſuis de-albandis, cùm aggredi noctu hoſtes volebant, ut ſuos ab adverſariis dignoſcerent, teſtatur Herodotus in Urania. Eandem rem commemoravit Pauſanias initio libri x. quo res Phocenſium tradit. *Victorinus l.20. Var. lect. c.13.*

SIGNO PUGNÆ, RECEPTUS PACIS.

☞ *De his alio reſpectu egimus ſub Loco Inſignium, & Signorum.*

VIGILANTIAM SUORUM EXCITARE, UT OMNES INSIDIAS HOSTIS præveniant, & avertant vigilando. F

Diocles Athenienſium Dux, in hoſtili ſolo militibus nullo ordine diſperſis, arma ferre nolentibus, teſſeram datam ſæpe commutavit. Milites arbitrati non longè hoſtes abeſſe, receptis armis, inſtructa acie profectionem faciebant. *Polyæn. l.5.*

Alcibiades Athenienſis, civitate ſua à Lacedæmoniis obſeſſa, veritus negligentia vigilum, denunciavit his, qui in ſtationibus erant, ut obſervarent lumen, quod nocte oſtenſurus eſſet ex arce, & ad conſpectum ejus ipſi quoque lumina attollerent. In quo munere, qui ceſſaſſet, pœnam daturum. Dum ſollicitè expectatur ſignum ducis, pervigilatum ab omnibus, & ſuſpectæ noctis periculum evitatum eſt. *Front. l.3. c.12. & Polyæn. l.1.*

Iphicrates, Dux Athenienſium, cùm præſidio Corinthum teneret, & ſub adventum hoſtium ipſe vigilias circumiret: vigilem, quem dormientem viderat, transfixit cuſpide. Quod factum quibuſdam tanquam ſævum increpantibus: Qualem inveni, inquit, talem reliqui. Eſt enim ſomnus mortis imago. *Front. l.3. c.12.* G

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, cùm interrogaretur, Cur hoſtium interfectorum cadavera ſpoliare prohibuiſſet? Ne milites, inquit, diteſcant: & dum prædæ incumbunt, pugnam negligant. Metuit vir prudentiſſimus, ne divitiis corrumperentur milites, quæ plerumque inſolentiores, & minùs fortes reddunt homines. *Plut. in Laconicis.*

Clearchus, cùm ex Thracia prædam egiſſet, neque redire Byzantium poſſet: caſtrametatus eſt prope montem Thracium. Coeuntibus autem Thracibus, ſciens eos latentes ex montibus noctu impetum facturos: mandavit ſuis, ut in armis perſeverarent, & crebrò excitationes facerent. Ipſe verò cùm nox eſſet tenebricoſa, aſſumpta parte exercitus, apparebat ſuis, verberans arma more Thracio. Qui tanquam hoſtibus apparentibus, ad pugnam erant inſtructi. Intereà Thraces etiam apparebant, ut dormientes caperent. At illi vigilantes, & armati, exceperunt incurrentes, & plurimos ex ipſis interfecerunt. *Polyænus l.2.*

Epaminondas, cùm cuſtodias, rationeſque ſuorum militum circumiret, ſopitum, & non vigilantem ex edicto militem, gladio confodit, aſſerens talem ſe reliquiſſe, qualem invenerat. H *Alex. ab Alex. l.1. c.12. ex Front. l.3. c.12.*

Hermocrates Syracuſanus, ſuperatis acie Carthaginenſibus, veritus, ne captivi (quorum ingentem manum in poteſtatem redegerat) parum diligenter cuſtodirentur, quod eventus dimicationis in epulas, & ſecuritatem compellere victores poterat, finxit proxima nocte equitatum hoſtilem venturum. Qua expectatione aſſequutus eſt, ut ſolito attentiùs vigiliæ agerentur. *Front. l.2. c.9.*

Militari apud Romanos præcepto obſervatum erat, ut vigiliarum vices turbæ in caſtris per intervalla ſignificarent. Et ſi quando hoſtes in conſpectu eſſent pro portis caſtrorum, ſingulæ ſtationes, & expeditæ cohortes, diſpoſitis excubiis, inſtratis equis, frenatiſque pro vallo excubarent, ut omnia militari cuſtodia, vigiliiſque tuta, firmaque eſſent, ne paratis inſidiis, & omni aditu ſepto, nudata cuſtodiis, ſtationibuſque caſtra hoſtes adoriantur, & nec opinantes invadant. *Alex. ab Alex. l.1. c.12.*

P. Scipio Æmilianus, cùm quandam urbem obſideret, no- A luit circa mænia ejus ferreos murices ſpargi, nec tabulas plumbatas acutis clavis præditas ſterni (ne hoſtes in præſidia repentè impetum facere poſſent) quod exiſtimaret, non eſſe ejuſdem & capere aliquos velle, & timere. Animi fortitudinem ſic declaravit, hoſtibus timorem injecit, ſuorumque vigilantiam excitavit. *Val. lib.1. c.7.*

L. Paulus Æmilius bello Macedonico nocturnas ſtationes ſine lancea, & gladio milites ſuos agere voluit, quo magis eſſent intenti, & reſiſterent ſomno, quod ingruentibus hoſtibus non valerent reſiſtere. *Plut. in Æmil. & Apopb.*

C. Julius Cæſar longinquo hoſte liberiora militibus diſciplinæ frena remittebat, ut poſteà propinquior factus, cùm ita militum animos recreaſſet, promptioribus, diligentioribuſque adversùs hoſtem uteretur. Numquam prælii, aut expeditionis tempus militi prædixit, ut omnibus horis in prœlium deſcendendum eſſe putaretur. *Suet. & Polyæn. lib.8.*

Ulpius Marcellus, Dux Commodi Imp. contra Britannos, ut vigilantes faceret milites, XII. tabulas, quales ex tilia fieri ſolent, quotidie perſcribebat veſperi: mandabatque uni ex ſuis, ut aliàs aliis, atque aliis horis perferrent ad B diverſos milites, quo Imperatorem ſuum vigilare ſemper rati, ipſi minus dormirent. Et quanquam ſomno alioqui reſiſteret natura: tamen quo magis id facere poſſet, inedia perfecerat. Nam, ut ne pane repleretur, eum Roma ad ſe jubebat exportari, ne paulò plus quàm eſſet neceſſe, poſſet propter vetuſtatem comedere. *Dion. Nicæus, & Xiphilin. in Commodo, & Suidas.*

Cùm ſub Leone V. Imp. Conſtantinopolis inter fortiſſimas gentes pluribus eſſet periculis obnoxia: utpotè, quæ tum Hungaros, Ruſſos, Bulgaros, Normannos, Armenos, & Perſas haberet vicinos, in triviis, ac plateis urbis habebantur cuſtodiæ: quicunque poſt crepuſculum deprehendebatur, cæſus verberibus trudebatur in carcerem, donec illuceſceret. Imperator vigilum volens experiri fidem, noctu ſolus è palatio habitu mutato ſe proripuit. A primis deprehenſus cuſtodibus, quo proficiſceretur rogatus, Lupanar ſe petere reſpondit: à quibus ſe duodecim aureis redemit, cùm carcerem, & verbera minitarentur. In ſecunda item cuſtodia deprehenſus, viginti ſe liberat aureis. In tertiam cùm incidiſſet, pugnis, flagriſque cæſus, carceri traditur. Abeuntibus reliquis, cùm jam illuceſceret, cuſtodiarum magiſtro multis vix tandem ſignis confirmat Imp. ſe eſſe duabus illum auri libris donatum jubet dicere cuſtodibus, quem noctu cepiſſent, carcere effracto fugiſſe. Manè Im- C perator cuſtodes urbis evocat: num quis nocte præterita ſit deprehenſus, interrogat. Qui pretio erant corrupti, nihil ſe, aut vidiſſe, aut audiuſſe aſſerunt. Qui verò Leonem cæſum cuſtodiæ mancipaverant, ſe quempiam reperiſſe fatentur, & flagris onuſtum carceri tradidiſſe, ſed effracta cuſtodia aufugiſſe. Leo remotis familiaribus, dorſum ex flagris lividum cuſtodibus oſtendit, eoſque magnis muneribus donavit: perfidos verò alios bonis mulctatos urbe expulit: ac urbem ſuam hoc aſtu tutiſſimam reddidit, cuſtodibus ſemper præſentiam Imperatoris expaveſcentibus. Eandem curam injecit & prætorianis militibus. Solebant enim præſidia duodecim militum poſt acceptum prandium ante ejus palatium excubare, cùm imperator quieſceret. Leo quondam aperto clàm palatii oſtio, vidit omnes in ſomnum reſolutos. Unus contractis in faciem brachiis ſtertabundus ſomnum ſimulabat. Imperator ſingulis dormitantibus auri libram apponens, clàm diſceſſit clauſo palatio. Abeunte Imperatore duodecimus, qui non dormiebat, aurum reliquorum aufert, & D ſe quieti dat. Ab Imperatore vocati milites, interrogantur; An expergefacti hilariores ex ſomno redditi eſſent? Territi quòd dormiviſſent, nihil quicquam tamen ſe vidiſſe, aut reperiſſe jurejurando affirmarunt. Imperator minas adiicit, ut verum dicant. Duodecimus itaque, Imperator, inquit, quid mei viderint, collegæ planè neſcio. Videbar ego mihi vigilans dormire, cùm quidam ſimilis tui, ſingulis auri libram apponit clàm, & tacitus clauſo diſcedit oſtio. Collegis tam pulchram non videntibus viſionem, ſurrexi, & undecim libras meæ duodecimæ conjunxi: arbitratus honeſtum, ut duodecim hæ libræ ob honorem duodecim Apoſtolorum ſimul eſſent, quos religioſè veneror. Hinc me quoque quieti dedi, & in ſomniis duodecim mihi aſtare Apoſtolos vidi, qui meam laudarunt ſolertiam. Expergefactus XII. libras auri in marſupio reperi, & viſionem veram fuiſſe re ipſa didici. Leo in riſum ſolutus: Vigilandi (inquit) & auſpicandi officium exegiſti ſimul, dignus, qui talem viſionem habueris. Collegæ tui ſtultitiæ pœnas ſecum ferant, & dormiant hinc uſque ad confuſionem. *Cuſp. ex Zonar.* E

MILITUM ALACRITATEM NIMIAM

Cohibere in oppugnando, irrumpendo.

Intempeſtivam pugnæ poſtulationem prohibere.

Lacedæmonii (ut etiam Phryges) pluribus continentibus tibiis, acies inibant, ut his modulis capti, compoſitè incederent, ferociamque, & immodicos animos cohiberent, neve, id, quod in concurſu magnorum præliorum uſuvenit, hoſtem cupidè inſequuti, ſævè, & atrociter contra victos inſultarent, ita ut longius effuſi, acies confunderent, & perturbarent. *Alex. lib.3. c.2.*

Ageſilaus Lacedæmonius, cùm adversùs Thebanos caſtra ſuper ripam poſuiſſet, multòque majorem hoſtium manum intelligeret, & ideò ſuos arcere à cupiditate decertandi vellet, dixit: Reſponſo Deum ſe ex collibus pugnare juſſum. Itaque exiguo præſidio ad ripam poſito, acceſſit ad col- F les. Quod Thebani pro metu interpretati, tranſierunt flumen: & cùm facilè depuliſſent prædium, cæteros inſecuti avidiùs, iniquitate locorum à paucioribus victi ſunt. *Frontin. lib. 1. c.10.*

Idem cùm Lacedæmonii incluſi in urbem à Thebanis, non ferrent, ſe intra mœnia cum uxoribus teneri, ſeu exeuntes, aut vincere, aut mori ſtatuerent, dehortatus eſt, dicens: Nos etiam Athenienſes aliquando intra mœnia concluſimus, at illi nolebant ad pugnam exeundo ſe omnes periculo exponere, ſed conſtitutis urbis, & mœniorum cuſtodibus, ſalutem ſibi pepererunt, defatigatis oppugnatoribus diuturnitate temporis, & tandem ultrò deſiſtentibus. *Polyæn. lib.1.*

Idem propè Lampſacum caſtrametabatur. Veniebant quidam ex metallorum fodinis Græci, qui nunciabant, Lampſacenos omnes quærendis metallis deſtinare quoſcunque caperent. Exercitus indignatus, ad mœnia incurſionem fecit, civitatem drepturus. Ageſilaus cùm reſiſtere non poſſet: & tamen urbem ſervatam vellet, quaſi ſumma ira incitatus, juſſit, ut currentes primas vites exſcinderent. Etenim eſſe optimatium Lãpſacenorum. Quibus ad exſcindendas vites ſeſe convertentibus, ipſe nactus occaſionem mittendi ad Lampſacenos, indicavit, ut bene urbem cuſtodirent, atque defenderent. *Idem.*

Eumenes Cardianus milites hoſtium impedimenta diripere G paratos deterrebat, & non prodeſſe affirmabat. Cùm verò perſuadere non poſſet, ipſe miſit ad hoſtes, præmonuitque, ut impedimenta ſumma cura tenerentur. Milites conſpicati præſidia majora, firmioraque, à propoſito deſtiterunt. *Polyæn. lib.4. & Plut. in Eumene.*

Cleandridas Thuriis numero paucioribus mundans: ne cum hoſtium multitudine congrederentur, inquit: Ubi non ſufficit pellis leonina, ibi vulpina adſuenda eſt. *Polyæn. lib. 2.* Hoc alii tamen Lyſandro tribuunt.

Iphicrates, ad Corinthum Athenienſium Dux erat, bellum Thebanis inſerentium. Athenienſes admodum feſtinabant egredi ad pugnam. Iphicrates videns hoſtes numero plures recens parta in Leuctris victoria confidere, ſuos non produxit, ſed ad eos inquit: Ego vos ad tantam fortitudinem perduxi, ut etiam contemnere Bœotos poſſitis. Verùm ex iis ducibus, qui me ſunt præſtantiores, aliquis vos aſſumat, & producat. Hac ratione Athenienſes ab impetu cohibuit. *Polyæn. lib. 3.*

Pericles dubio Marte cum Samiis pugnans, Meliſſo præ- H tore victo urbem ipſam obſedit, mora hoſtes ſe fracturum ſperans. Verùm cum moræ pertæſos Athenienſes, & pugnandi cupidos, non facilè eſſet reprimere: in octo partes diſtributis copiis ſortem duxit. Cui obveniſſet alba faba, huic epulari feriarique, dum pugnarent reliqui, permittebat. Unde albam diem, quo quis genio indulſit, ajunt ab alba faba nominari. *Pl. in Pericle.*

Q. Fabius Max. bello Punico, quòd manum cum Hannibale non confereret, malè audiebat in ſenatu. Filio hortante, ut depelleret infamiam, oſtendit ei ſingulas agminis partes. Quibuſdam verò non ſatis robuſta corpora habentibus: Vides, inquit, non eſſe commodum inito prœlio armis fortunam tentare? Neque enim univerſum agmen certaminis periculum ſubit, ſed ſinguli. Præſtat igitur per montana ſequi, & urbes ad defectionem perducere. *Polyæn. lib.8.*

Q. Sertorius, quòd experimento didicerat, imparem ſe

univerſo Romanorum exercitui, ut barbaros inconſultè pu- A gnam expoſcentes doceret: adductis in conſpectum duobus equis, altero prævalido, altero admodum exili, duos admovit juvenes ſimiliter affectos, robuſtum, & gracilem: ac robuſtiori imperavit, equo exili univerſam caudam abrumpere: gracili autem valentiorem per ſingulos vellere. Cùmque gracilis feciſſet, quod imperatum erat, validiſſimus cum infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur: Sic etiam (inquit. Sertorius) Romanæ cohortes inſuperabiles ſunt, univerſas aggredientibus: eaſdem lacerabit, & carpet, qui per partes attentaverit. *Front. l.1.c.10. & Val.lib.7.c.3.*

Idem, cùm videret ſuos pugnæ ſignum inconſultè flagitantes, crederetque rupturos imperium, niſi congrederentur: permiſit turmæ equitum ad laceſſendos hoſtes ire, laborantique ſubmiſit alias, & ſic recepit omnes: tutiſque & ſine noxa oſtendit, quis exitus flagitatam pugnam manſiſſet. Obſequentiſſimis inde eis uſus eſt. *Front. in lib.1.c.10.*

MILITUM ALACRITATEM EXCITARE.

TARDOS, ET IGNAVOS ANIMARE, ET ACCENDERE

B

AD LABOREM.

☞ *Conſule Tit. Militum robur firmare labore, infrà.*

Artoxerxes Perſarum Rex, cum Caduſiis bellum gerens, omnem demonſtravit ignaviam, & mollitiem non ex deliciis, & luxu, ut vulgus arbitratur, oriundam: ſed ex improba, & degenere, quæ pravas ſequatur opiniones, natura. Neque enim aurum, vel candys, vel XII. militum talentorum Regis corpus circumjectus mundus retinebat à laboribus eum, & ærumnis, inſtar militum gregariorum ſubeundis: verùm pendente ex humero pharetra parmam ferens, primus ipſe vias montoſas, & arduas dimoto equo ſcandebat. Unde cæteri illius alacritatem, & robur conſpicientes, volucres fiebant, & expediti. Etenim ſtadiorum iter quotidie plus ducentorum conficiebat. *Plin. in ejus vita.*

Cyrus Perſa ab Harpago Medo invitatus, ut exercitus contra Aſtyagem avum duceret, ut Perſas ad rebellandum iis duceret, ſimulat ſibi litteras à Rege miſſas. Quas in Concilio cùm reſignaſſet, & legiſſet, Ducem ſe Perſarum ab Aſtyage eſſe creatum aſſeruit, omneſques cum falcibus adeſſe juſſit. C Cùm jam conveniſſent, imperat his, ut locum XX. circiter ſtadiorum vepribus, ſpiniſque obſitum, unius diei opera purgatum ſibi redderent: inde diurno opere feſſis præcipit, ut poſtridie ſibi lauti adeſſent. Ipſe ex paternis interim gregibus vim pecorum ingentem occidit, & cum his boves plurimos, ut opiparè tot hominum millia uno tempore pranderent. Tum epulis eo tempeſtivè congeſtis, quo manus illa ingens ex imperio coitura erat, larga vini copia, ciborumque elegantia paſſim diſcumbentibus appoſita, multo luxu, & hilaritate pars diei non parva acta eſt. Ubi verò abundè epulati ſunt, in concionem Cyrus eos vocat, ac primùm omnium rogat: Utra opera ſuavior animis fuiſſet: heſterna illa: quæ inter vepres, & ſpinas arcta locorum feritate, ægrè conſumpta eſſet: an recentior, quam virenti prato multa cum voluntate paulò ante exigiſſent: His magnum eſſet inter utramque diſcrimen reclamantibus. Rectè, inquit, Cyrus, judicatis, ſed advertite viri Perſæ, quàm utraque conditio ſit veſtris rebus non diſſimilis. Siquidem volentibus vobis honeſtè ſequi, & mecum audere, quæ viros fortes decent, eadem longèq; majora commoda adſunt: ſin minus, ærumnæ nihilo heſternis illis inferiores nos, poſte- D roſque noſtros perpetuò prement, Medorum injuriæ: ſuperbæque dominationi obnoxios. Cùm hæc ille peroraſſet, miro omnium conſenſu defectio ſecuta, bellum in Medos decretum. *Sab.lib.5.Enn.2.ex Herod.lib.1. & Front.lib.1.c.11.*

Xenophon, cùm equo veheretur, & pedites jugum quoddam occupare juſſiſſet, unum ex eis obmurmurantem, quod diceret, facilè tam laborioſa eum ſedentem imperare: deſiliit, & gregalem equo impoſuit, curſuque ipſe pedeſtri ad deſtinatum jugum contendit. Cujus facti ruborem, cum perpeti miles non poſſet: irridentibus commilitonibus, ſponte deſcendit, Xenophontem vix univerſi perpulerunt, ut conſcenderet equum, & laborem ſuum in neceſſaria duci munera reſervaret. *Front.lib.4.c.6.*

Alexander Tyrum oppugnans, cùm amplam foſſam mœnibus Tyriorum adjectam ſuperare cuperet, primus ipſe corbem arena refertam apportavit. Macedones cùm Regem ſuis manibus opus facere viderent, confeſtim objectis chlamydibus, celeriter loca æquarunt. *Polyæn.lib.4.* Idem petram inacceſſam in India oppugnans, militem quendam Alexandrum E nomine appellans: Te verò, inquit, fortem eſſe, vel nominis cauſa decet. Idem juvenis, cùm fortiter pugnans cecidiſſet, non mediocriter Regem perturbavit. *Plut. in Alex.*

Archidamus noctu milites duxit ad Carras per viam aquoſam, aſperam, ac longam. Militibus verò labore defatigatis, & indignantibus, conſolabatur eos Archidamus quantum poterat, & ne deficerent, hortabatur. Poſtquam verò repentè irruentes plurimis hoſtibus interfectis, oppidum excidiſſent, cœnam parantes, atque exultantes victoria, rogavit Archidamus, Quando ſibi urbem cepiſſe viderentur? Reſpondentibus aliis, cùm impreſſionem faceremus: aliis, cùm jacula mitteremus: Nequaquam, ait ille, ſed cùm viam longam, & paluſtrem contenderemus. Nam voluntas ad laborem propenſa, cuncta vincere, ac ſuperare conſuevit. *Polyæn.lib.1.*

Sic etiam M. Cato ſuis militibus, qui quatridui iter biduo confecerant, & oppidum quoddam Hiſpaniæ ex improviſo ceperant, reſpondiſſe. *Front.lib.3.c.2.*

Chares in Thracia, cùm vehementiſſima tempeſtas ingruiſſet, conſpicatus milites veſtimentis parcere, & ſegniter imperata facere, mandavit, ut veſtes invicem commutarent. Hoc facto, cùm ſinguli alienarum veſtium nullam rationem haberent, promptiùs, id quod imperatum fuerat, exequebantur. F *Polyæn.lib.3.*

Ageſilaus in Bœotiam impreſſione facta, regionē depopulari, & arbores deiicere ſocios juſſit. Quibus per ignaviam eam rem negligenter adminiſtrantibus, mandavit, ut abſtinerent à populatione. Verùm caſtra ter, aut quater quotidie traduxit. Neceſſariò igitur ad extruenda tabernacula in ſuum uſum ligna ſecabant, non ut damnum hoſtibus inferrent. Attamen id pari detrimento hoſtes afficiebat. *Polyæn.lib.2.*

Obſidebantur è Corbana Perſarum principe Chriſtiani Antiochiæ in Syriæ metropoli, quam non multò antè proditione ceperant. Fame, metuque milites confecti, tectis ſe continebant, in publicum non prodibant, extrahi à ducibus voceve præconis non poterant, mortem (quod mallent) hoſtium ferro, vel (quod miſerrimum viro forti) fame expectabant. Conſenſu procerum imperium univerſum, ſummaque rerum, quoad Antiochenſis res expediatur iis; quibus tenebatur difficultatibus Boemundo Carentino committitur. Is ubi nullo pudore, nullo imperio, nullis minis, nullo ſolatio extrahi è tenebris in lucem milites ad munera quiſque ſua poſſunt, ignem paſſim tectis ſubiici juſſit, ad duo millia domorum, adjuvante fortè coorto vento conflagravere. Ita milites neceſſariò ſui copiam G fecere. *Æmil.lib.4.*

AD PUGNAM. NEMPE

AUDITU

Soni, Muſicæ Caſtrenſis.

☞ *Conſule Tit. Muſicæ uſus in bello. Hìc mentio fit ipſius, quatenus ad pugnam animos accendere ſolet.*

Cyrus, Perſarum Rex bellicoſiſſimus ne efferis hoſtium clamoribus milites perculſi, animum abiicerent, hymnum Polluci, & Caſtori altiſſima voce canere juſſit. Quo concentu effecit, ut abjecta omni formidine, animosè cum hoſtibus manus conſererent. *Alex.ab Alex. lib.4.c.7.*

Spartanæ civitatis exercitus non antè ad dimicandum deſcendere ſolebat, quàm tibiæ concentu, & anapæſti pedis modulo cohortationis calorem animo traxiſſent, vegeto, & crebro ictus ſono ſtrenuè hoſtem invadere admoniti. *Val.Max.lib.2.c.1.* H

Vocis, Adhortationis.

Epaminondas Thebanos ducebat, Lacedæmonios Cleombrotus: pugna fiebat in Leuctris. Res in dubio vertebatur. Epaminodas à Thebanis petiit: Unum greſſum mihi donate, & victoriam habebimus. Morem geſſerunt, & victoriam adepti ſunt. Lacones ceſſere loco, & Cleombrotus Rex in prælio cecidit. *Polyæn.lib.2.*

Idem adhortatus Thecanos, ut confidenter in Lacedæmonios impetum darent, maximum ſerpentem cepit, & ejus in conſpectu omnium atrito capite: Videtis, inquit, quòd reliquum corpus inutile ſit, ſi caput adimatur? Ita ſi hoſtium capita, nempe Laconicum hoc contriverimus, reliquum corpus ſociorum nullius erit uſus. Hoc exemplo perſuaſi Thebani, in Laconicum agmen incurrentes, id ſuperarunt. Sociorum verò multitudo fugam ultrò capeſſit. *Polyæn.lib.2.*

Alexand. Magnus in primo conflictu adversùs Perſas, vi- A dens jam cedere Macedones, obequitans clamabat: Adhuc ſemel accedamus, viri Macedones, adhuc ſemel ſtrenuè. Cùmque valida fieret impreſſio, Barbari terga vertere cogebantur. Adeò levi momento tunc victoria conſiſtit. *Polyæn.lib.4.*

Iphicrates promittebat ſe militibus victoriam daturum, ſi poſtquam ipſe ſignum extuliſſet, animantes ſe mutuò, unum gradum procederent. Cùm pugna eſſet in inclinatione graviſſima, dux ſignum tollebat. Milites acclamantes ſibi mutuò proceſſere, & hoſtes in fugam vertere. *Polyæn. lib.3.*

Salustius de bello Jugurthino, induxit L.Syllam, cum paucis, quos ſecum habebat, penè inſidiis circumventum, milites ad fortiter prœliandum adhortantem, atque ita loquentem: Quantò ſibi in prœlio minùs peperciſſet, tantò tutiores fore. Interpretatus videtur ſententiam illam Græcam, μαχέσθων ὡς τεθναξόμενοι, ϗ οἱ τεθνάξοντα: quod memoriæ proditum eſt ſcripſiſſe Spartiatas, qui domi in magiſtratu erant, Leonidæ fortiſſimo Imperatori, qui cum parva manu contra infinitam multitudinem hoſtium pugnaturus erat. Et conſilium id L. Syllæ eo tempore verum, atque utile fuit. Virgilius item fecit Æneam, extremo patriæ tempore, magni animi juvenibus dicentem.

Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

B

Bello civili contra Cæſarem, cùm ad conflictum quendam apud Dyrrhachium, & ipſe exercitum Pompejus adhortaretur, & ducem quemque alium incitare oratione aliqua imperaret: milites ſegniter eos & cum ſilentio fama eſt audiviſſe cæteros: at ubi omnium noviſſimus M.Cato, quæ tempus ſuggerebat, ex piloſophia afferre, de libertate, virtute, morte, gloria, magno animi ſui motu diſſeruit, atque extremam orationem ad Deorum implorationem quaſi præſentium, & illud pro patria inſpectantium certamen convertit, tantum ſublatum clamorem fuiſſe, tantumque excitari motum exercitus, ut duces concitarentur ſpei pleni omnes ad diſcrimen. *Plut. in Catone.*

C.Jul. Cæſ. inclinatam aciem ſolus ſæpè reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinenſque ſingulos, & contortis faucibus convertens in hoſtem: Quorſum tu abis? inquiens: illic ſunt, cum quibus dimicamus: & quidem adeò plerumque trepidos, ut aquitanis moranti cuſpide ſit comminatus: alius in manu detinens reliquerit ſignum. *Suet. & Valer. Max.lib.3.c.2.*

Titus Cæſar milites ſuos ad Antoniæ arcis Hieroſolymitanæ munitiſſimæ expugnationem, virtutis gloria, & animorum immortalitate potiſſimùm accendit. ☞ *Vide Joſeph. de excidio Judaico.*

Julianus Apoſtata Imp. contra Perſas profectus, milites C convocavit, & pluribus exemplis à Ventidio ad Maximianum recenſitis (nam memoria plurimùm valuit) docuit majores ferè omnes laureatos rediiſſe, præter Gordianum, & Carum, quorum illum inſidiis mortalium, hunc ira Deorum ſublatum dixit: pluribuſque milites cohortatus, exercitum eduxit, Aſſyriam depopulatus, urbes, & oppida partim vi cepit partim deditione. *Cuſp.*

Leo Armenus Imp. cùm Bulgari Græcos ordinibus ſolutis effusè perſequerentur, cohortatus ſatellitium, quod circa ſe habebat, ut fortes ſe præberent, neque Romanorum gloriam ad nihilum redigi paterentur, magno cum impetu hoſtes adortus, victoriam obtinuit. *Cedrenus.*

ASPECTU.

Ducis.

Clearchi vultum Xenophon acie, & præſenti diſcrimine, cùm conſpiceretur placidus, & benignus, aut reddidiſſe animoſiores illos, qui dimicabant. *Plut. in Dignoſ. adul.*

D Europus Philippi filius, infans à patre relictus, à Macedonibus in aciem, cum adhuc in cunis eſſet, eſt delatus, cum Illyriis acie dimicaturis. Siquidem pugna una, cum ea gente parum proſperè commiſſa, ut neceſſitas in acie permanendi omnibus imponeretur, puerum mediis crepundiis in procinctu ſtatuerant. Perſuaſum ad id vulgò erat, Macedonas vincere non poſſe, niſi regiis auſpiciis dimicarent. Nec defuit opinioni eventus. Recentiore prælio, tanto Macedones animorum ardore certaſſe dicuntur, ut momento temporis Illyriis ſtrage afflictis gloriati ſint, priori certamine non virtutem ſibi bellicam, ſed ducem defuiſſe. *Sab.lib.5.En.2.*

Gothorum Reges in aciem lectica ſumptuoſiſſimè ornata deſcendere ſolebant, ut milites erepta Regi fugę commoditate, fortiſſimè dimicarent. Sic Rodericus ultimus Veſtgothorum Rex, in Hiſpania contra Saracenos progreſſus, urgente tandem hoſte, equo impoſitus, cùm fruſtra ſuos à fuga arcere conaretur, vix tandem ad Eremitam quendam in ſolitudinem E aufugit. *Annales Hiſpaniæ.*

Fredegundis, Clotharii Francorum Regis mater animabat Francos honeſtate, adversùs Childebertum Mediomatricum Regem, qui in Sueſſionum finibus caſtra poſuerat. Circumibat ipſa ordines, circumferenſque puerum filium Regem, illum eorum fidei, virtutique commendabat: pueritiam ejus hoſti contemptui eſſe, quaſi exercitus ſine ſuo Rege, & Rex ſine fido milite foret: oſtenderet Burgundionibus, Auſtraſianiſque, Reges Francorum invictos eſſe, non ætatis flore, roboreve ullo ſuo, ſed nominis ipſius majeſtate, ſuorumque armis. Qua oratione tantum ardorem animis militum ſubdidit, ut collatis ſignis ad XX. millia hoſtium Franci interemerint, paucis ſuorum deſideratis. *Æmil.lib.1.*

Liberorum, Conjugum, Amicorum.

Cyro, quo duce ab Aſtyage Rege, & Medis defecerant Perſæ, acie profligato, cùm hoſtes penè uno agmine, cum fugientibus Perſis in urbem irrumperent: occurrerunt eis ante urbem Feminæ, nudatiſque pudendis: Quo ruitis, inquiunt, homines ignaviſſimi? Neque enim huc, unde prodidiſtis, vobis fugæ receptus eſſe poterit. Hæc ſpecies, & vox ruborem Perſis incuſſit: qui ſeipſos increpantes, ac converſi, pugnam repetie- F runt, & hoſtes fuderunt, fugaveruntque. Unde auctore Cyro lege cautum fuit, cùm Rex in urbem iniret, ut ſingulis mulieribus aureus daretur. Ochum autem ferunt tetrum, & ſordidiſſimum regem deflexiſſe ſemper, & prætergreſſum urbem, ut munere mulieres fraudaret. Alexander & bis ingreſſus eſt, & prægnantibus geminavit donum. *Plut. de Virtutibus Mulierum, & Polyæn. lib.7.*

Germani olim pugnaturi, omnes ſuas neceſſitudines in proximo ſtatuebant, ut in ſuorum conſpectu aut glorioſè vincerent, aut cum laude caderent. Liberi, conjuges, parentes, ſanctiſſimi pugnæ teſtes adhibebantur. Ad matres, & uxores accepta vulnera deferebant, nec illæ, & numerare, & exigere plagas formidabant. Eædem cibos hortationeſque pugnantibus ſuggerebant. Proditum memoriæ eſt, inclinatam aciem aliquando illarum hortatu reſtitutam. Creduntur adhæc arbitrati aliquid ſancti providique eſſe in feminis, earumque conſilia haud propterea aſpernari, reſponſa ve negligere. *Sab.lib.2. Enn.6.*

Regionis.

Hannibal per Alpes exercitum traducebat, via aſperrima loci natura, & montanorum inſidiis infeſtiſſima. Ubi in ſummas Alpes perventum eſt, feſſis tædio tot malorum, nivis etiam G caſus, occidente jam ſydere Vergiliarum, ingentem terrorem adjecit. Per omnia nive oppleta, cùm ſignis prima luce motis, ſegniter agmen incederet, pigritiaque, & deſperatio in omnium vultu emineret: prægreſſus ſigna Hannibal in promontorio quodam, unde longè, ac latè proſpectus erat, conſiſtere juſſis militibus, Italiam oſtentat, ſubjectoſque Alpinis montibus Circumpandanos campos: mœniaque eos tum tranſcenderet non Italiæ modò, ſed etiam urbis Romæ: cætera plana, proclivia fore: uno, aut ad ſummum altero prælio arcem, & caput Italiæ in manu, ac poteſtate habituros. *Livius Dec.3. lib.1.*

ÆMULATIONE.

Ducis. Suo exemplo Militem accendere.

Xenophon lib.3. Pædiæ narrat, Cyrum majorem, cùm ante alios ſtaret, vicinis jam hoſtibus, commotum animo, oblitumque firmæ progreſſionis, currere cœpiſſe: ſimulque inclamaſſe, τίς ἕψεται, τίς ἀγαθὸς, τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ, quas H voces ab ipſo acceptas adjungit, qui propinqui erant, & ipſos, ad remotiones cohortandos, clamore repetiſſe. *Victor. lib.35. Var. lection.c.19.*

Xerxe contra Græcos exercitum ducente, Spartani Leonidem Regem cum primorib. Spartiatarum trecentis ad Thermopylas miſerunt, ut horum exemplo ſocii quoque eo alacriores ſequerentur, & minùs cum Medis ſentirent. *Herod.lib.7.*

Contra Dorylaum Mitridatis ducem pugnans, ac Orchomenum L. Sylla, cùm ab equitatu diſſipati Rom. fugerent: ipſe deſiliit ex equo, arreptoque ſigno per medios fugientes ruit in hoſtes, clamans: Mihi milites, hìc alicubi decorum eſt occumbere. Vos rogantibus, ubi Imperatorem veſtrum prodidiſtis, memineritis, reſpondere, Orchomeni. Hæc vox convertit eos, atque ex dextero cornu duci cohortes ſubvenere, quarum ope avertit hoſtes. *Plut. in Sylla, & Polyæn.l.8. & Front.l.2.c.8.*

L. Lucullus Cabyris contra Mithridatem caſtra poſuerat. A Cùm neuter in animo haberet in præſentia prœlio decernere: ferunt, cervum perſequentibus regiis intercepta via occurriſſe Romanis. Hic initium ortum certaminis, pluribus ſemper ad utroſque affluentibus. Poſtremò ſuperiores fuerunt regii. Fugam Romani ſuorum ex vallo deſpicientes fremuerunt, ac concurſu ad Imperatorem facto rogaverunt, ut duceret in hoſtem, ſignumque popoſcerunt pugnæ. Qui quò eis oſtenderet, quanti ſit momenti in ipſo certamine, & diſcriminis articulo, ducis præſentia, & conſpectus prudentis: edixit illis, ne moverent ſe, ipſe autem deſcendit in campum, & primis occurrens fugientium, conſiſtere imperavit, & redire ſecum in hoſtem. His parentibus cæteri à fuga ſe reprimentes, globo facto hoſtes facilè fugant, conſectanturque uſque ad caſtra. Rurſus Lucullus, eos, qui ceperant fugam, de more notavit, ac foſſam pedum XII. diſtinctam aſſiſtente, & ſpectante toto exercitu ducere juſſit, *Plut. in Lucullo.*

C. Jul. Cæſar in Hiſpania contra Pompeii filios ad Mundam cum hoſte conflicturus erat. Cæſariani cunctatiores B ad prœlium facti, neque precibus, neque minis priùs pugnam iniverunt, quàm Cæſar primus omnium in adverſam aciem moriendi conſilio irruens: Hic, clamitavit, milites, mihi vitæ finis, vobis militiæ terminus. Tum verò mota eſt, ut illi ajunt, tota acies, metuque aut pudore imperatoris impetum ſecuta, in adverſos hoſtes cum clamore ivit. Ferunt ſolius Cæſaris impreſſione decem pedes Pompejanam aciem loco ſubmotam, parvo temporis momento, CC. in eum tela concidiſſe, quorum major numerus ſit Parma exceptus, auditumque ex eo poſtea die, quo ad Mundam pugnatum eſt, ſe de morte ſibi conciſcenda cogitaſſe, cùm neque minis, neque precibus poſſent milites ad pugnam compelli: ſeque de gloria, & laude ſemper aliàs, ad Mundam de vita tantùm dimicaſſe. *Sab. l. 7. En. 6. ex Polyæn. lib. 8. & Front. lib. 1. c. 8.* Cùm innumerabili multitudine, & feroci impetu Nerviorum inclinari aciem ſuam videret, timidiùs pugnanti militi, ſcutum detraxit, eoque tectus, acerrimè prœliari cœpit: quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam divino animi ardore reſtituit. *Val. lib. 3. cap. 2.*

Cato, & Scipio poſt aciem Pharſalicam in Africam C refugerant, atque ibi Regis Jubæ ope magnas coegerant copias. Cæſar in illos, circa ſolſtitium brumale, trajecit in Siciliam. Ut autem omnem ſtatim ducibus ſuis ſpem præcideret cunctationis, & moræ: ſtatuit tabernaculum ſuum in crepidine maris: ac vento oblato conſcendens cum tribus militibus peditum, & paucis equitibus vela fecit. Quibus expoſitis repetiit clàm mare, de majore exercitus parte ſolicitus. His jam vela facientibus occurrit, omneſque in caſtra deduxit. *Plut. in Cæſ.*

Bello Japides proſequebatur Auguſtus, & Metulium oppugnabat. Bini aggeres ſunt mænibus admoti, & ex his pontes ad muros extenſi. Tum Octavii juſſu urbs ab omni parte oppugnari cœpta eſt, ut oppidanorum vires pluribus locis fatigaret. Aderat Imperator, ac circa pontes milites hortabatur, ut in urbem evaderent. Cæterùm quia ſegnior erat pugna, neque miles ducis præſentia, & hortatione ad irrumpendum multò incitatior videretur: arrepto clypeo per pontem Octavius curſu ferebatur. Sequuntur cum Agrippa, & alii primores. Tum milites, pudore ducti, certatim eò advolant. Quorum pondere pons depreſſus, cum fragore, & ſtrage hominum ab imo corruit. Multi ruina eliſi periere. Octavius crux, & dextrum utrumque brachium conſauciatus, in pedes ſublatus ex eminentiore loco ſeſe militibus D oſtendit, ne ejus morte temerè credita, prœlium remitteret. *Sabell. lib. 9. Ennead. 6.*

Attila Hunnorum Rex, in oppugnandis urbibus, non ducis modò, ſed & militis munia obivit. In Vincentiæ expugnatione cunctantibus ſuis ob aquæ profunditatem, & oppidanorum acrem defenſionem, in foſſam urbis præcipiti ſaltu ſe demittens, per aquam mentotenus ad murum evaſit, ſuoque exemplo milites accendit. *Nic. Olaus cap. 15. vitæ Attilæ.*

Albertus Marchio Brandeburgenſis, eo bello, quod adverſùs Nurenbergenſes eximiè geſſit, Gravenburgum (id oppidum in valle jacet, XX. millibus paſſuum à Nurenberga, ad amnem Pegneſium) multa vi oppugnabat. Cunctantibus militibus, cùm eam ſibi oppidi partem elegiſſet, qua murus altior, & foſſa profundior erat, inſultu facto ab ea parte, qua oppidum captum eſt, ſecundus ex omnibus ipſe murum aſcendit, & in oppidum omnium primus evaſit. Circumventus ab oppidanis, tam diù pugnam ſuſtinuit (quamvis in eum multi concurriſſent) donec alii pugnantes, decretis ſibi murorum partibus ſuperatis, ſuppetias tulerunt. *Æneas Sylvius lib. 3. Comm. de Rebus geſtis Alphonſi.* E

Alphonsus Aragonum Rex, audiens milites ſuos ex caſtello Bovalengo, quò irruperant, expulſos eſſe, properè accurrens, ſcalaſque ſuis manibus apprehendens, in foſſam oppidi devolvit, equitibuſque equo deſilire juſſis, ſtatim oppidum recepit, atque diripuit. *Panorm. lib. 3. de Alphonſi rebus geſtis.*

Maximil. I. in obſidione Morini certior de adventu Francorum factus, noctu retractis clàm bellicis apparatibus, ordines inſtruxit, & quadrato agmine obviàm proceſſit hoſtibus. Juxta Bovini oppidum venere ſub mutuum aſpectum. At hora poſt meridiem ſecunda, extractum eſt prœlium ad quintam. Pertinaciter utrinque pugnatur. Dux ubi conſpexit Francos non cedere, pedes cum peditibus cœpit inire pugnam, equitibus tamen in ſuo ordine manentibus. Ubi medium conſpexere ducem ſuum Alemanni, tum verò in pectora vigor rediit. Urgent ferociter Francos, cedereque loco compellunt: primis fugam ineuntibus acriùs urgentur, miſcentur ſtrages, F multa Francorum millia perimuntur. *Crantz. lib. 12. Saxoniæ, cap. 21.*

Commilitonum.

Cyrus, Perſarum Rex, mille Homotimis ex Perſarum nobiliſſimis delectis, XX. millia è plebe adjunxerat, & contra Aſſyrios Medorum Regi Cyaxari avunculo ſuo auxiliaturus proficiſcebatur. Jam quia Aſſyrios numero longè ſuperiores eſſe ſciebat, & ſi res eminùs ſagittis gereretur, victores fore cognoſcebat: tres myriadas plebejos Homotimis dignitate adæquavit, iiſdem armis, ſecuri ſcilicet, & ſcuto, ad pugnam cominùs miſcendam oportunis, inſtruxit, eodem contubernio uti, eadem prœmia expectare voluit: fore ſperans, ut in liberorum ordinem aſciti, libertatis ſuæ fructus ederent præſtantiſſimos. Quinetiam, ut ad virtutis certamen pulcherrimum milites accenderet, prœmiorum æqualitate ſublata, pro virtutis cujuſque modulo prœmia quoque diſtribuenda eſſe, univerſo exercitu approbante, ſtatuit. *Xenophon. lib. 2. Pædiæ.*

Triginta Perſarum millia Suſa ad Alexandrum Magnum venerunt: qui omnes, & juniores, & corporibus bene compa- G ctis, robuſtiſque electi, Regis juſſu ſimul ad idoneum tempus ſub magiſtris, & præfectis omnia belli munia perdidicerant, ac Macedonica armatura pulcherrimè inſtructi fuerant. Hi caſtra ante urbem poſuerunt. Cùmque bellica uſi meditatione, ſe in armis Regi oſtendiſſent, maximis ab eo muneribus ſunt affecti. Quòd enim Macedones Gangem flumen traiicere recuſaverant, & frequenter in concionibus reclamare ei non verebantur, opinionemque de patre Hammone paſſim elevabant: agmen hoc Perſarum, quorum unus, & idem eſſet animus, ad Macedonicæ phalangis animos reprimendos comparaverat. *Diod. lib. 7.*

C. Jul. Cæſar, adverſùs Germanos, & Regem Arioviſtum pugnaturus, pro concione dixit, Nullius ſe eo die opera, niſi Decimæ legionis, uſurum. Quo aſſecutus eſt, ut & decumani tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonia concitarentur, & cæteri pudore, ne penes alios gloria virtutis eſſet. *Frontin. lib. 4. c. 5. & lib. 1. cap. 11.*

Julianus Domitiani legatus, adverſùs Decebalum Dacorum Regem prælium commiſſurus, militum, & centurionum nomina haſtis inſcripſit, ex hoc cogniturus, qui hoſtem percuſſiſſet. Quare juxta Tapas præclaram victoriam conſecutus eſt. *Cuſp.* H

Gasto Foiſſejus, Galliæ Regis Ludovici XII. exercitus, contra Julium II. PP. & Venetos in Italia Dux, anno MDXII. Ravennam oppugnaturus, ut occupandæ urbis difficultates virtute, & ordine ſuperaret, & ipſos milites æmulatione inflammaret: Germanos, Italos, & Gallos in tria agmina diſtribuit: & ex ſingulis cataphractorum turmis decem fortiſſimis delectis, iiſdem armis, quibus in equis pugnant tectos, pedibus milites præcedere juſſit, qui mœnibus ſubeuntes, terribili impetu urbem invaſerunt. *Guicciard. lib. 10.*

Mulierum.

Pyrrhus Epirotes bellum Lacedæmoniis conferebat. Acri prælio pro urbe commiſſo, diſcedentes Lacedæmonii, conſiliũ iniverunt, ut liberos, atque conjuges in Cretam exponerent: ipſi verò periculum tantiſper ſubirent, donec aut victoriam aſſequerentur, aut vitam amitterent. Ardidamis Regis filia hoc conſilium improbavit, inquiens, Pulchrum eſſe Lacænis,

nis, ut cum viris unà mortem opperterent, aut ſimul cum eis A viverent. Itaque opera bellica inter ſe partiebantur, foſſas ducebant, fodiebant, arma adferebant, haſtas acuebant, vulneratos curabant. Qua re factum eſt, ut Lacones ad certamen audaciores evaderent, mulierum virtutem conſpicati, Pyrrumque repellerent *Polyæn. lib. 8.*

Brutorum.

Athenienſes, poſt devictos Perſas legem poſuerunt, ut galli gallinacei quotannis uno die certamen in theatro inirent. Quod inde ortum eſt. Themiſtocles civium exercitum adverſùs barbaros cùm educeret, gallos gallinaceos vidit pugnantes: neque ille ſpectatorem ſeſe oſcitantem ejus pugnæ præbuit: ſed totum exercitum cohibens, inquit ad ipſos: At hi neque pro patria, neque pro Diis familiaribus pugnant: neque pro avitis heroibus periculum ſubeunt, neque pro gloria, neque pro libertate, neque pro liberis: ſed ne alter ab altero ſuperetur, aut alter alteri cedat. Quibus verbis Athenienſium animos confirmavit. Quod ergo tunc eis incitamentum ad virtutem fuit, voluit civitas ad ſimilium rerum, & factorum memoriam ſempiternam conſecrari. *Ælianus lib. 3. de Tar. hiſt. & Cælius lib. 12. c. 32. A. L.*

B Cùm puer quidam, Ageſilao Rege vidente, murem captum è cavo protraheret, muſque converſus momordiſſet tenentis manum, atque effugiſſet: Ageſilaus indicavit his, qui aderant, dixitque: Poſteaquam minimum animalculum ſic ulciſcitur eos, à quibus læditur, quid viros oporteat facere, cogitate. *Plut. in Lacon. Apophr.*

Contemptu hostium.

Homer. in 2. l. Iliad. Agamemnonem facit exercitum, quem imperio ſuo regebat, alloquentem, & quod dedecus ſubiiſſent, quia Trojanos diuturno bello profligere non potuiſſent, quamvis pauciores illi forent, oſtendentem addit: Si namque nos Græci, ac Trojani, induciis factis, velimus numerum utriuſque gentis recenſere, Trojanoſque deligere ſine ſociis: nos verò in decurias dividamur, ſumamuſque ex eorum numero ſingulos, qui ſingulis centuriis vinum miniſtrent: multæ centuriæ egerent miniſtro. Ex quo intelligere licet, quanto plures Achivi Trojanis fuerint. *Vict. lib. 56. Var. lect. c. 4.*

Polypercon Peloponneſiis aditum obſidentibus, milites ſuos ad periculum adeundum confirmavit. Pileum impoſuit, C & tunicam duplicem indutus, acceptoque baculo, dixit ad eos: Qui nos in periculum vocant, ò commilitones, ejuſmodi ſunt homines. Poſt his depoſitis, & armatura recepta: Qui verò cùm iis manum conſerent (inquit) ejuſmodi; uſque in hoc tempus multorum, magnorumque bellorum victores. Quo audito, milites obſecrabant, ne ampliùs moram aliquam interponeret, ſed recta ad ineundam pugnam duceret. *Polyæn. l. 4.* Pari ſtratagemate Brennus Gallos ad Græcam expeditionem incitavit. *Idem lib. 7.*

Pulſis in exilium Thebanis nobiliſſimis, à tribus tyrannis, Lacedæmoniorum potentia ſubnixis: Epaminondas, qui ob paupertatem, & Philoſophiæ ſtudium contemptus Thebis remanſerat, ad libertatem incendebat juventutem. Namque præcipiebat, in gymnaſiis, ut prehenderent Lacedæmonios, & cum eis luctarentur. Deinde ex victoria, & palma cum ovantes videret, caſtigabat eos, magis pudendum ipſis eſſe, ſi quibus tantùm præſtarent robore, his per ſocordiam ſerviſſent. Et hac ratione vim tyrannidis tollendæ ſternebat Pelopidæ, & exulibus. *Plut. in Pelopida, & Polyæn. lib. 2.*

D Archidamus Zeuxidami F. dum ſtativa ad Corinthum habet, cùm videret ex quodam loco juxta mœnia lepores exſurgentes: Confidite, inquit: expugnatio hoſtium facilis erit. *Plut. in Apophtegmatibus.*

Cùm Corinthii deſciviſſent, & accedens ad muros Lyſander, Lacedæmonios ſegnes cernerent ad oppugnationem, lepus autem conſpectus eſſet foſſam tranſilire: Ecquid pudet vos, inquit, eos formidare hoſtes, quorum ob ignaviam mœnibus indormiunt lepores? *Plut. in Lyſand. & Apophr.*

Cùm Ageſilai juſſu captivi Phryges, & Perſæ detractis veſtibus ſub corona venirent, veſtium autem exiſterent complures emptores, corpora verò ex umbratili vita candida, & prorſus mollia deriderent, ubi nudata fuerunt, ut inutilia, & vitia: aſſiſtens Ageſilaus: Hi ſunt, inquit, quibuſcum dimicatis: illa, pro quibus dimicatis. *Plut. in Ageſilao, & Apophr. & Athen. lib. 12. c. 28. & Front. lib. 1. c. 11.*

Gelo Syracuſarum tyrannus, bello adverſùs Pœnos ſuſcepto, cùm multos cepiſſet, infirmiſſimum quemque, præcipuè ex auxiliaribus, qui nigerrimi erant, nudatum in conſpectu ſuorum produxit, ut perſuaderet contemnendos. *Front.* E *lib. 2. cap. 11.*

Manlius Capitolinus ita populum ſtimulabat, addebatque ipſi animum: Numerate ſaltem, quot ipſi ſitis, quot adverſarios habeatis, ſi ſinguli ſingulos aggreſſuri eſſetis, tamen acriùs crederem vos pro libertate, quàm illos pro dominatione certaturos. Quot enim clientes circa ſingulos fuiſtis patronos, tot nunc adverſùs unum hoſtes eritis. A multitudine igitur, numeroque, quo illi valdè nobiles ſuperabant, Quirites excitare voluit, certamque ipſis ſpem victoriæ polliceri. *Livius lib. 6. V. C.*

Hannibal pugnam Cannenſem, cùm tumulum aſcendiſſet paulò editiorem, è quo multitudinem intueretur Romanorum, & ordines. Giſcon quaſi obſtupefactus, cùm dixiſſet, mirari ſe tantam multitudinem: tum ipſe, qui obſtupefactum illum intelligeret, ne qui adeſſent ſimili terrore caperentur, converſus ad illum: Quantò majus, inquit, mirum tibi videatur, Giſcon, in tanta hominum multitudine, qui Giſcon appelletur, omninò eſſe neminem. Quod dictum cùm ſtatim inter acies emanaſſet, ad riſumque converterentur omnes, eam vim habuit, ut ſinguli exiſtimarent iis dictis propterea jocari Han- F nibalem, quòd de Romano exercitu putaret jam actum. *Probus in Hannibale, & Livius.*

Cùm Antiochus Rex cum numeroſo exercitu veniſſet in Græciam, omneſque reddidiſſet attonitos & militum numerus, & armaturæ varietas: T. Quintius hoc ſermone metum ademit Achæis: Cùm, inquit, eſſem in Chalcide, cœnans apud hoſpitem meum, mirabar carnium copiam, cùm eſſent omnia tecta nive. At hoſpes reſpondit, ea omnia nihil aliud eſſe, quàm ſuis domeſticæ carnes, tantùm apparatu & conditura diverſa. Ne vos igitur, inquit, admiremini regis copias, cùm auditis haſtatos, cataphractos, pedites, equites, & ſagittarios. Nam hi omnes Syri ſunt, armatura inter ſe differentes. *Plut. in Roman. Apophteg.*

C. Marius, Cimbris, & Teutonibus in Italiam impreſſionem facientibus, qui homines erant agreſtes, immani magnitudine, facie monſtroſa, & belluina voce præditi, diù moratus, manus non conſeruit: ſed milites juſſit ad vallum accedentes, intrò tela coniicere: proculque conſiſtentes in hoſtes intuendo, aſſuefecit, ut eorum formam ſuſtinere, & vocem tolerare poſſent, faciemque uſitatam redderent. Sic milites ſtuporem Barbarorum abiicientes, eos deſpexerunt: atque ipſi Marium hor- G tabantur, ut ſe ad ineundam pugnam educeret: commiſſoque prœlio cum centum millibus hoſtium, partim eos occiderunt, partim vivos ceperunt. *Polyæn. lib. 8.*

Memoriæ proditum eſt, quendam Turcicorum Imperatorum conſiliariis diſſuadentibus, ne bello Chriſtianos, maximè verò Germanos laceſſeret: Non ſe timere, reſpondiſſe, Chriſtianos, idque multas ob cauſas, & quidem primò: Quia ſemper inter eos eſſent odia, lites, & contentiones, citiuſque digitos ſuos æquales fore, quàm inter ipſos pax eſſet, atque concordia: Secundò, quia laborum, moleſtiarumque belli minus eſſent patientes. Tertiò, quod plerique, præſertim Germani, noctes, atque dies helluarentur, abdominique ſuo potius, quàm laudi, & gloriæ nati viderentur. Quartò, quia nunquam non ingentem ſcortorum, & meretricum numerum ſecum ad bellum profecturi educerent, quibus in caſtris fruerentur: Quintò, quia Chiliarchæ, Tribuni militares, Centuriones, cæterique præfecti bellici plumis, mollibuſque pulvinaribus, & lectis indormirent: Sextò, quòd diſciplinam militarem non obſervarent, juſtitiam, nec in toga, nec in armis H colerent, rectè facta nullis prœmiis decorarent, uti nec peccata dignis ſuppliciis coercerent. Superbum ſanè Tyranni reſponſum: ſed, eheu! nimis verum.

Ira.

M. Fabius, & Cn. Manlius Coſſ. adverſùs Hetruſcos, propter ſeditiones detrectante prœlium exercitu, ultrò ſimularunt cunctationem: donec milites probris hoſtium coacti pugnam depoſcerent, jurarentque ſed ex ea victores redituros. *Front. lib. 1. cap. 11.*

Spe, Tum

Prœmii cœleſtis.

☞ *Conſule Tit. Expeditionum ſacrarum, quatenus ad eas ſpe conſequendæ æternæ felicitatis miſeri mortales animantur.*

Princeps Hiſpanenſis bello, quod eo auctore geſtum eſt in Piceno adverſùs Pontificis hoſtes, hortabatur milites ad pugnã, aſſerens eos, qui eo prœlio cecidiſſent, cũ Deo, & angelis pranſuros.

A pranſuros. Tum unus ex militibus: Cur tu, inquit, non & ad hoc prandium unà nobiſcum accedis? At ille, Tempus prandii nondum eſt mihi, quoniam nondum eſurio. *Poggius in Facetiis*.

Gloriæ, Dignitatis conferendæ.

Andreas Contarenus Venetorum Dux, Clodienſi bello adverſus Genuenſes, triginta familias plebeii ſanguinis in patricium ordinem cooptandas, decreto ſanxit, eorum, qui præclariorem operam ad patriæ ſalutem comparandam attuliſſent. Quare incenſis omnium animis, univerſa penè civitas ita inflamata eſt, ut pleriquc privato ſuo ſtipendio, novas naves ipſi extruxerint, quibus ipſimet præeſſent, alii ingentem pecuniæ vim in publicum dono dederint. Nec defuere, qui ſeipſos cum liberis, & reliqua familia graviſſimis quibuſcunque periculis objecerint. Bello feliciſſimè confecto, triginta familias in ampliſſimum ordinem cum ſuis hæredibus aſcivit: reliquos publico ære annuo ex ſuo arbitrio donavit: ut non deſint tot jam annos, quibus idipſum publicè perſolvatur. *Egnat. lib. 6. c. 5. & lib. 8. c. 6.*

B *Victoriæ aſſequendæ.*

Pherecydes Syrus, cùm inter Epheſios, & Magneſios vigeret bellum, cuperetque Epheſios vincere, quendam ex prætereuntibus interrogavit, quis eſſet. Is cùm ſe Epheſium eſſe reſpondiſſet: Arripe me, inquit, cruribus, & in agrum Magneſium pertrahe, mox civibus tuis nuncia, ut parta victoria Pherecydem eo loco ſepeliant. Hæc ubi ille civibus ſuis renunciavit, magnam ſpem victoriæ conceperunt. Poſtridie verò commiſſo prœlio, Magneſios fundunt, & Pherecydem è vita migraſſe comperiunt, eumque honorificè ſepeliunt. Sic igitur & mortem ſuam, & victoriam Epheſiorum cognovit, ſeu potiùs Epheſiorum animos felici iſto præſagio animavit. *Laert. in ejus vita*.

Alexand. Magnus ad Arbela contra Darium pugnaturus, ob ingentem Perſici exercitus multitudinem, anxius mirificè de rerum exitu, noctem inſomnem duxit. Circa excubias matutinas ſomno tandem eſt correptus profundo adeò, ut jam die clara expergiſci nequierit. Quæ res initio valde ejus amicis placebat, exiſtimantibus Regem ita in prœlio faciliùs labores omnes ſubiturum. Sed cùm jam multum temporis ſom-C nus ille continuaretur: Parmenio grandior natu cæteris amicis regiis, exercitui, ut ad certamen ſe expediret, imperavit. Cujus edicto cùm nulli parerent, ingreſſi ad Alexandrum amici difficulter excitarunt. Admirantibuſque cunctis eam regis ſecuritatem, cauſamque reſcire cupientibus: Magna, inquit Alexander, animi moleſtia Darius me liberavit, cùm vires omnes ſuas in locum unum conduxerit: quandoquidem die unica ſemel de rebus omnibus decerneretur, ut deinceps laborum, & diſcriminum, quæ alioquin diuturna erant futura, finem habituri ſimus. Oratione autem accommodata cùm duces omnes ſuos adhortatus eſſet, ut animo fortiſſimo adverſùs imminentia pericula eſſe vellent, inſtructis copiis contra Barbaros eſt profectus. *Diod. lib. 17.*

Iphicrates cum Barbaris prælium collaturus, volens ſuos milites audaciores reddere: Vereor, inquit, ne non intellexerint Barbari, quemadmodum hoſtes terrere ſoleam Iphicratis nomine. Sed ego curam adhibebo, ut nunc id intelligant, & aliis renuncient. Tantum vos etiam ſtudium, diligentiamque mecum intendite. Cùm autem congrederentur exercitus, dicente quodam, hoſtes eſſe formidabiles: Et quanto nos, inquit, ſumus formidabiliores? D *Polyæn. lib. 2.*

L. Lucullus cum Rege Tigrane conſerturus manum, cum parte equitatus, ac duabus tantùm cohortibus tumulum quendam pedes aſcendit: ibique contemplatus loci ſitum, hoſtiumque ordines, exclamavit altiſſima voce: Vicimus milites, vicimus. *Plut. in ejus vita*.

C. Jul. Cæſ. poſt attritos Tigurinos, ad urbem quandam ſociorum proficiſcens, cùm audiviſſet Helvetios in itinere occurrere, in locum quendam munitum ſe recepit: ibique copiis congregatis, & eoque, cui inſidere ſolebat, adducto: Hoc inquit, poſt victoriam utar in perſequendis hoſtibus. Et pedes aggreſſus eſt Helvetios. *Plut. in Rom. Apoph.*

Canutus II. Anglorum Rex, à Normannorum Duce Richardo, quòd ſororis ſuæ Eſtrithæ repudium egiſſet, pœnas ſumpturus in Normanniam magna claſſe trajecit. Adverſa autem valetudine preſſus, cùm ſe firmitate defectum animadverteret: proceribus convocatis certiſſimam victoriam prædixit, ſi loculum ſuum humeris in aciem extuliſſent: juſſitque, ſe fugato hoſte apud Rothomagum ſepulturæ mandari.

Libertatis.

Rhodii obſeſſi à Demetrio Poliorcete, ſervis, qui ſeſe viros fortes in adeundis periculis præſtitiſſent, ſoluto Dominis E precio, libertatem, ac jus civitatis decreverunt. Etiam eorum, qui in bello occubuiſſent, corpora ſepulturos ſe promulgarunt: Item parentes, & liberos, ſumptis de publico penu cibariis, allaturos promiſerunt: virgines publico ſumptu dotaturos: filios jam adultos in theatro coronaturos armis in Bacchanalibus. *Diod. lib. 20.*

T. Sempronius Gracchus, navaturus egregiam adverſùs Hannonem, ac Brutios, & Lucanos operam, cùm legiones magna ex parte Volonum haberet, qui alterum jam annum libertatem tacitè meruerant: pronunciat, tempus veniſſe libertatis, quàm diu ſperaſſent, potiundæ: poſtero die ſe collatis cum hoſte ſignis dimicaturum, puro, ac patenti campo, ubi ſine ullo metu inſidiarum, vera virtute geri res poſſet. Qui caput hoſtis retuliſſet, eum ſe extemplò liberum juſſurum eſſe. Itaque acri coorta pugna, quartam poſt horam renunciatur Graccho à tribunis militum, nullam rem aliam magis impedire, quàm capita hoſtium precia libertati facta: nam ut quiſque hoſtem impigrè occidiſſet, primùm F caput ægrè inter turbam, tumultumque abſcindendo tereret tempus: deindè occupata dextra tenendo caput, fortiſſimus quiſque pugnator eſſe deſiiſſet, ſegnibus, ac timidis tradita pugna eſſet. Quo cognito, Sempronius ſignum dari properè juſſit, ut proïicerent capita, juvaderentque hoſtem, nec dubiam libertatem futuram ſtrenuis viris. Itaque redintegrata acriter utrinque pugna, ducibus hinc inde acerrimè annitentibus, poſtremò pronunciat, de libertate non ſperarent, niſi eo die fuſi, fugatique hoſtes eſſent. Ea demùm vox ita animos accendit, renovato clamore, ut hoſtes terga verterint, cæſi, fugati, ac caſtris exuti, ducis prudentia. *Livius*.

Divitiarum, Stipendiorum, Commeatus ſpe, Muneribus, Præda.

Græci, qui ad Artemiſium ſe cum CCLXXI. navibus contulerant, contra Xerxem pugnaturi, perculſi metu, conſulebant de facienda fuga ex Artemiſio in interiorem Græciam. Quorum conſultatione cognita, Eubœi obſecrabant Eurybiadem Laconem, claſſis præfectum, ut aliquantulum G temporis præſtolaretur, uſquedum ipſi liberos, atque domeſticos ſubducerent. Ubi non perſuadent, ad Ducem Athenienſium Themiſtoclem tranſgreſſi, paciſcuntur cum eo triginta talentis, ut tamdiu antè Eubœnam perſtaret, donec pugna navali decerneretur. Themiſtocles igitur Eurybiadem ex hac, tanquam ex ſua ipſius pecunia, quinque talentis impertivit. Eo perſuaſo, Adimantium Ocyti Corinthiorum Ducem, qui ſolus reluctabatur, jurejurando interpoſito, ut maneret, ſtatim tribus donavit argenti talentis. Quibus pecunia corruptis, cùm Eubœis gratificatus eſt Themiſtocles, tum reliquum pecuniæ, quam acceperat, lucrifecit. Ita in Eubæa Græci perſtitere, ac prælium fecere felici ſucceſſu. *Herod. lib. 7.*

Alexand. Magnus commiſſurus prœlium ad Granicum, hortatus eſt Macedonas, ut liberaliter cœnarent, omniaque proferrent, tanquam poſtridie ex hoſtilibus cœnaturi. *Plut. in Apopb.*

Autophradates mercenarios ad pugnam volens educere, ſubmiſit, qui rumorem ſererent, eum recenſionis cauſa expeditionem facere, ne præſentes, aut armatos ullos juſto ſtipendio privaret. Milites ſumma alacritate omnes aptatis ar- H mis progrediebantur. Tum ipſa res declaravit, non eſſe recenſionem, ſed apparatum belli, multitudine hoſtes terrentem. *Polyænus lib. 7.*

Brennus Gallos ducens in Græciam, cùm Delphis aureas ſtatuas conſpexiſſet, accerſivit Delphos captivos, eoſque per interpretem interrogavit? An ſolidum eſſet aurum anathematum? Quibus affirmantibus, intus ferrum eſſe, extra autem aurum leviter aſperſum: mortem omnibus minabatur, ſi hoc aliis enunciarent: immò contrarium dicere juſſit, nihil eſſe præter aurum fabricatum. Tum duces intro vocavit, & ad eundem modum captivos interrogavit. Quibus, ut imperatum erat, reſpondentibus, aurum eſſe purum: juſſit eos multitudini renunciare, ut ſperantes ſe maximos auri theſauros accepturos, alacrius pugnam facerent. *Polyænus*.

Romani proprium nihil poſſidebant, quamdiu partes eorum in vita manerent: ſed & pecuniæ, & corpora filiorum, parentũ poteſtati arbitrioque permiſſa erant. Verùm Imperator, ut præmio aliquo adoleſcentes ad militiæ labores invitaret,

Caſtren-

Caſtrenſe peculium iis pleno jure conceſſerunt. Quod *Ju-* A *venal. 26. Sat.* ubi militiæ præmia enumerat, his verſibus declarat:

Solis præterea teſtandi militibus jus
Vivo patre datur: nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſus,
Omne tenet cujus regimen pater —— Hotoman.

C. Jul. Cæſ. milites ſuos ſpe prœmiorum animavit trajecto Rubicone. Nam in alloquendo, exhortandoque, ſæpiùs digitum lævæ manus oſtentans, affirmabat, ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, annulum quoque æquo animo ſibi detracturum eſſe, militibus, qui procul ſtabant, donativi id ſignum eſſe conjectantibus. *Suet.*

Gallus Imper. I. Rom. Scythis tributum pependit. At cùm Scythæ contenti precio non eſſent: Æmilianus limiti Sarmatico præfectus pro concione ſuis militibus id tributum pollicitus eſt, ſi hoſtes viciſſent. Romani prœmio accenſi, ad conferendas cum Barbaris manus incitatiores facti, magna ſtrage hoſtes vicere: Reverſus in Mœſiam, prœmia militibus perſolvit: adeòque gratus exercitui fuit, ut ab eo ſit Impera- B tor appellatus. *Cuſp.*

Lampridius Alexandrum Severum Imp. ait, ſola, quæ de hoſtibus capta eſſent, limitaneis ducibus, & militibus donaviſſe, ita ut eorum eſſent, ſi hæredes eorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent: dicens; Attentiùs militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent.

Cum Brixia Venetis parens, Vicecomitum armis gravi obſidione teneretur, ventumque eſſet ad inopiam rerum omniũ: Franciſcus Barbarus præfectus urbis mulos arena onuſtos ſæpè in urbem induxit, porta hoſtibus averſa, ut ſpeciem multitudini exhiberet levandæ fami, novo rei frumentariæ invectu. Quæ ludificatio fecit, ut perſeveratum ſit in toleranda obſidione, quoad brevi poſt verum affuit à Venetis ſubſidium cum commeatu. *Sab. lib. 10. c. 6.*

Auxilii divini.

Apud Iſraelitas, ex præcepto Domini, quando pugnandum erat cum hoſte: Pontifex priùs eos præſentibus animis eſſe jubebat, & in Deo omnem ſuam ſpem ponere, neque hoſtes metuere. Mox delectus fiebant militum, & copiis duces præficiebantur. *Deut. 20.*

Judas Machabæus cum paucis contra maximum exercitum C Antiochi Epiphanis, cui præerat Nicanor, pugnaturus, ſomnium ſuis narravit militibus: Vidiſſe ſe per quietem Oniam Pontificem ſanctiſſimum (qui non multo ante ab Appollonio præfecto Antiochi ſuaſu fratris Menelai ſceleratiſſimi, interfectus fuerat) expãſis manibus pro Judæis orantem: & mox converſum, ſenem quendam auguſto aſpectu, & habitu intuitum. Hic eſt ille fratrum amator, dixiſſe, qui multa pro populo, ſanctaque urbe precatur, Hieremias Dei vates. Hieremiam inde porrecta dextera tradidiſſe ſibi enſem aureum, his verbis: Accipe ſanctum enſem, munus à Deo, quo enſe frangas adverſarios. Hac oratione Judæ confirmati, caſtra facere noluerunt, ſed acie cum Nicanore congreſſi XXX. millia hoſtium interfecerunt. *2. Mach. 15.*

Agamemnon cùm à Jove in ſomniis monitus eſſet, Græcos ad pugnam educere, quòd eo die Ilium capturus eſſet: videret autem milites partim ita accenſos, quòd Achillem fortiſſimum Græcorum injuria affeciſſet, erepta illi Briſeide, partim timore correptos, Achille à bello quieſcente, ad pugnam vix prodituros: rationem excogitavit, qua & ſibi reconciliaret populum, & ad pugnam vel invitus accederet. Senio- D res in conſilium vocat, iis ſomnium ſuum indicat, ſimul etiam conſilium explicat, ſeſe in concione Græcis ſuaſurum, ut fugiant in patriam: ipſi è contra eoſdem verbis retineant. Ingenioſum inventum. Sciebat, Græcos, pertæſos diuturni belli, reditum vehementer cupere. Reditum ergo illis ſuadendo, eos ſibi reconciliare voluit, Achillis cauſa infeſtos. At ne reconciliati abirent, a ducibus retineri, & ad pugnam excitari cùm aliis verbis, tum potiſſimum ſomni narratione. Quòd ſi verò pro ſuo erga Agamemnonem odio, & ira, ne hac quidem ejus oratione reditum ſuadente reconciliarentur, tum certè Regis odio vel invitos pugnaturos. Sic igitur una, eademque opera & reconciliare ſibi populum, & ad pugnam animare ſtuduit. Hoc autem conſilium licèt ingenioſum, parum felicem tamen propè exitum habuit. Populus enim oratione regis reditum ſuadentis ita fuit excitatus, ut ferè nec verbis, nec verberibus à Neſtore, & Ulyſſe retineri potuerit. *Hom. Iliad. β.*

Cùm eſſet Xerxes ex ſuperiore Doridis regione in Phocidem digreſſus, oppidaque Phocenſium flamma devaſtaret: non tulerunt Græci ſuppetias, licèt orarent Athenienſes, ut ad ar- E cendum à terra Attica bellum in Bæotia occurrerent, ſicut ipſi obiecerant ſe ad Artemiſium. Verùm cùm audiret eos nemo, ſed reſpicerent Peloponneſum, omneſque vires molirentur intra Iſthmum contrahere, & murum de uno mari in alterum ducerent: ibi Athenienſibus reſtabat neceſſarium, ut urbe relicta naves amplecterentur. Accipiebat id plebs moleſtè: quòd aris, focisque relictis, neque victoriam deſiderarent, neque viderent ſalutem. Hic Themiſtocles ad inducendam multitudinem humanis deſtitutus conſiliis, ſicut in tragœdia machinam erigens, prodigia cœleſtia, & oracula admovit iis. Oſtentum mutuatus eſt à Dracone, qui per eos dies non fuit in adyto viſus: & libaminibus, quæ ei proponebantur quotidie, integris repertis, ſacerdotes enunciaverunt pro concione, dicendi poteſtate iis à Themiſtocle facta, dereliquiſſe Minervam urbem, & ducem ſe civibus ad mare præbere. Jam oraculo populum tractavit, nihil aliud docens muro ligneo, quàm naves oſtendi, atque idcirco nominari divinam à Deo, non miſeram, neque infelicem Salamina: ut à qua cognomen apud Græcos ingens eſſet palma tractatura. Ubi ſententia ejus comprobata eſt, ſcribit plebiſcitum, ut urbs fidei Minervæ populi F Athenienſis præſidiis concrederetur, juventus naves conſcenderet: liberis, conjugibus, ſervitiis incolumitatem, quam quiſque poſſet, expediret: Jam cũ difficultate rei nummariæ laborarent in publico Athenienſes, Ariſtoteles auctor curam Areopagi militibus in capita octonas drachmas diviſiſſe, eamque potiſſimam fuiſſe cauſam complendæ claſſis. Verùm Clidemus & hoc quoque Themiſtoclis aſſignat conſilio. Nam deſcendentibus in Piræcum Athenienſibus in ſimulachro Minervæ deſideratam ait fuiſſe Ægidem. Themiſtoclem igitur, cùm ſpecie quærentis excuteret omnia, immenſam vim pecuniæ inveniſſe in impedimentis abditam, tanquam divino munere conceſſam. Qua in medio poſita, abundaſſe claſſiarios milites viatico. *Plut.*

Cùm populo ingruentibus Medis conſuleret Themiſtocles, ut relicta urbe, & agro deſerto in freto juxta Salamina dimicaret, & claſſe certaret: omnibus fermè conſilium tam præceps ſtupentibus, conſpectus Cimon Miltiadis F. Princeps eſt per Ceramicon alacris comitantibus ſodalibus arcem ſcandere, ac frenum equi, quod manibus ferebat, Minervæ conſecrare: quaſi non requireret civitas equeſtre robur in præſens, ſed milites præliorum navalium ſcientes. Sacrato fræno, ſumptiſque G clypeis ex illis, qui ex templo pendebant, adoravit Deam, atque ad mare deſcendit. Qua re dedit non paucis animum. *Plutarch. in Cimone.*

Crotoniatæ bellum Locrenſibus inferebant. Locrenſes, externis auxiliis opus eſſe rati, à Lacedæmoniis, cum quibus pacem jam anteà pactam habebant, ſupplicis opem implorant. Spartiatæ longinquam militiam detrectantes, à Caſtore, & Polluce jubent legatos auxilium implorare. Id omen Locrenſes ſecuti, Caſtrorum templum ingreſſi, rem ibi divinam faciunt, pulvinariaque in navi ambobus componunt, velut propitiatos ſecum veherent. Ubi verò domum ventum eſt, XV. M. Locrenſium, cum Rheginorum appendicibus, adverſus centum, & viginti Crotoniatarum millia, ad Sagram fluvium congreſſa, non tam aliqua vicendi ſpe, quàm certo moriendi conſilio, ſi vincere nequiſſent, tanto animorum ardore conflixerunt, ut dum honeſtè mori cupiunt, egregiè vicerint: nec ulla æquè res, ac deſperatio profuit ad victoriam. Fertur aquila Locrenſium aciem, quamdiù pugnatum eſt, circumuolaſſe, duoque paludati juvenes albis equis ſedentes, ab utroque cornu, H pro Locrenſibus dimicare viſi, qui parta victoria confeſtim evanuerint. Auxit admirationem rei hujus nuncii celeritas, quæ tanta fuit, ut eodem die, quo in Italia pugnatum eſt, tam inſignis victoriæ fama Lacedæmonem, Corinthum, & Athenas pervenerit. Meminerunt miraculi hujus, Græci, & Latini auctores. Diuque geminæ aræ Caſtoris, & Pollucis in extrema fluminis ripa, geſtæ rei monumentum duravere. Celebratum inde inter Græcos Proverbium, Verius rebus ad Sagram geſtis. *Sab. lib. 9. Enn 3.*

Archidamus cùm in Arcadia pugnam committere vellet, in poſterum diem Spartiatas confirmavit, noctu ſtatuens aram, eamque armis ſplendidiſſimis ornans, & equos duos circumagens. Cùm illuxiſſet, manipulares duces, & centuriones, nova conſpicientes arma, & duorum equorum veſtigia, atque ſpontaneam aram, interpretati ſunt Dioſcuros auxilium laturos. Spartiatæ ſumptis animis, & religione commotis, ſtrenuè pugnarunt, atque Arcadas vicerunt. *Polyæn. l. 1. & Fron. l. 1. c. 11.*

Athenienſes, & Lacedæmonii ad Leucadem navale prælium committebant, Timotheo Athenienſium Duce agente, Nicomacho Lacedæmoniorum. Erat feſtum Scira. Timotheus myrto coronans triremes, ſolvenſque ſignum extulit, & navibus vicit. Milites enim cum bona ſpe pugnam faciebant, numen ſe rati ſocium habere. *Polyæn. lib.3.*

Platæenſes, ut feliciter à Græcis contra Xerxem in campis Eleuſinæ Cereris (ut oraculum præceperat) pugnaretur, neque tamen locus ille ad pugnandum aptus eſſet, quantum erat agri inter Atticam, & urbem ſuam, id Eleuſinæ Cereri dono dederunt. *Plut. in Ariſtide.*

Timoleon Corinthius, pro ſocietatis jure Syracuſiis auxilium ferens, in collem aſcendens, cùm vidiſſet quinquaginta millia Carthaginenſium explicata, locum verò procellis infeſtum, & ventum hoſtibus adverſùm ferri, congregata concione: Hoc tempore, inquit, hoſtes capi neceſſe eſt. Etenim oraculum extare, eos, qui in illo loco aciem collocaſſent, interituros: comprobari autem oraculum tempeſtate repentina Græci magnis animis ſumptis pauci complures fuderunt. *Polyæn. l.5.*

Agatocles, ut milites ſuos in Africa contra numeroſum exercitum Athenienſium animaret, dimiſit in caſtra compluribus locis ululas, quas jam anteà præparaverat: quæ per agmen volitantes, & ſcutis, galeiſque inſidentes, milites animabant, propterea quòd Minervæ ſacrum creditur id animal. Itaque cùm multitudo animos ſumpſiſſet, & rumores ſparſi eſſent, divinitùs manifeſtè victoriam illis præſignificari, confidentius periculum ſubjerunt. *Diod. lib.20.*

Epaminondas Thebanus adverſùs Lacedæmonios fiduciam ſuorum religione adjuvandam ratus, arma, quæ ornamentis affixa in templis erant, noctu ſubtraxit: perſuaſitque militibus, Deos iter ſuum ſequi, ut prœliantibus ipſis adeſſent. *Front, lib.1. cap.11.*

Idem Thebanos eduxit in Leuctra adverſùs XL. millia Spartiatarum, atque ſociorum. Civibus autem (ut fieri ſolet) pertimeſcentibus hoſtium multitudinem, animos eorum ſic excitavit. Erat Thebis ſtatua Palladis, haſtam in medio tenens dextra manu, ſcutum verò pro genibus poſitum habens. Ille noctu artificem adducens, aliam formam affinxit ſimulachro, & deam fecit manubrio ſcutum tenentem. Cùm verò tempus expeditionis præſto eſſet, omnia templa aperuit, quaſi rem divinam pro exercitu facturos. Milites formam deæ mutatam videntes, obſtupuerunt, quaſi ipſa Pallas adverſùs hoſtes arma ſumpſiſſet. Eos multis verbis Epaminondas hortabatur, ut bonum animum gererent, quippè dea contra hoſtes ſcutum protendente. Ita Thebani animos receperunt, & conſertis manibus egregiè pugnaverunt, multoque plures hoſtes devicerunt, *Polyæn. lib.2.*

Idem ſubornavit virum ignotum progredientibus ex urbe coronatum, & vite redimitum, qui primùm deciperet eos nunciando: Trophonius juſſit, ut Thebanis renunciarem, ſe victoriam dare iis, qui principes pugnam inirent. Thebanis confirmatis, & Dei vatem adorantibus, Epaminondas juſſit in Heracleum venientes vota facere. Erat jam antè cum Herculis ſacerdote conſtitutum, ut noctu templum aperiret, & arma repoſita ſummoveret, atque terſa Deo rurſus apponeret, ipſeque cum miniſtris ſuis de medio recederet, nemine quicquam nunciante. Poſtquam ergo milites cum ducibus templum ingreſſi viderunt apertas januas, nullo miniſtrorum præſente, atque etiam arma vetuſta repurgata recens, & fulgentia conſpexerunt: coram Deo clamorem ſuſtulerunt, divina confidentia pleni, tanquam Herculem pugnæ Ducem haberent. Sic accidit, ut ſumptis animis, quadraginta millia contemnerent. *Polyæn. lib.2. & Diodor. Siculus lib.15.*

Thebani ad Leuctra Lacedæmonios, divino auxilio Ariſtomenis Meſſenii herois, ſuperaſſe feruntur. Nam cùm pugna inſtaret, Epaminondas legatos miſit, qui & alia oracula, & Trophonium, qui in Lebadea colitur, conſulerent. Accepto oraculo, impetravit à Xenocrate precibus Epaminondas, ut Ariſtomenis clypeum ſibi mitteret, illumque ad trophæi, quod erexerat eo loco, unde poſſet à Lacedæmoniis manifeſtè conſpici, inſignia addidit. Norant Lacedæmonii fixum in Lebadea ſcutum Ariſtomenis: nam & multi per otium ad Trophonium profecti illud fuerant conſpicati, & planè omnes ita eſſe audierunt. Parta verò victoria ſuum Trophonio donum reſtituere. *Pauſan. in Meſſenicis.*

Alexand. Magnus, cùm ab aruſpicibus cognoviſſet, Deos omnia fauſta portendere, circumferre hoſtias juſſit, & militibus ob oculos demonſtrare: ut non ſolùm ex auditione, verùm etiam ex aſpectu ſpem bonam de victoria haberent. *Polyænus lib.4.*

Idem ſacrificaturus, inſcripſit medicamento aruſpicis manum, quam ille extis erat ſuppoſiturus: literæ ſignificabant, victoriam Alexandro dari. Quas cùm jecur calidum rapuiſſet, & à Rege militi eſſet oſtenſum, auxit animum, tanquam Deo ſpondente victoriam. Idem fecit Innides aruſpex, prœlium Eumene cum Gallis commiſſuro. *Front. lib.1. cap.11.*

Attalus Pergami Rex, cum Gallis magnum numerum habentibus prælium commiſſurus, milites ſuos timore perculſos confirmare, atque alacres reddere volens, ante conflictus periculum victimam paravit, Sudino Chaldæo vate ſacrificium obeunte, ipſe Deos precatus libavit, & victimam diſſecuit. Rex contrito gummi inſcripſit in dextram manum, Regis victoria: inſcriptionem efficiens, non à ſiniſtris ad dextra, ſed contra à dextris ad ſiniſtra: & cùm viſcera extraherentur, ſuppoſuit manum in calidiorem, ac fungoſum locum, abſterſitque inſcriptionem. Vates percurrens fruſtra reliqua, ac bilem, portaſque, & menſam, atque omnia ſigna perſpiciens, convertit particulam, quæ inſcriptionem continebat, qua Regis victoria ſignificabatur. Itaque alacribus animis in pugnam ruentes, Gallorum multitudinem ſuperarunt. *Polyæn. lib.4.*

Amaſis Rex eo bello, quod adverſùs Arabes habebat, à tergo Ægyptiorum conſtituit ſtatuas eorum Deorum, qui apud ipſos ſummo honore, & religione colebantur, ut hoc modo alacriùs pericula ſubirent, arbitrantes ſe Deos habere ſpectatores, quos nequaquam hoſtibus prodere, aut relinquere deberent. *Polyæn. lib.7.*

Aul. Poſthumius prælio, quo cum Latinis conflixit, oblata ſpecie duorum in equis juvenum, animos ſuorum erexit, Pollucem, & Caſtorem adeſſe dicens, ac ſic prœlium reſtituit. *Front. lib.1. cap.11.*

Q. Fabius Maximus contemptu ceremoniarum victum ab Hannibale Flaminium docens, ad pietatem milites hortatus, Verque ſacrum vovens, alacritatem illorum revocavit. *Plut. in Fab.*

L. Sylla, quo paratiorem militem ad pugnandum haberet, prædici ſibi à Diis futura ſimulavit. Poſtremò in conſpectu exercitus, priuſquam in aciem deſcenderet ſignum modicæ amplitudinis, quod Delphis ſuſtulerat, orabat, petebatque, ut promiſſam victoriam maturaret. *Front. lib.1. c.11.*

C. Marius ſagam quandam Martham ex Syria habuit, à qua ſe dimicationem eventus prædiſcere ſimulabat. *Ibid. & Pl. in ejus vita.*

Q. Sertorius, cùm barbaro, & rationis indocili milite uteretur, cervam candidam inſignis formæ per Luſitaniam ducebat, & ab ea, quæ agenda, aut vitanda eſſent, prænoſcere ſe aſſeverabat: ut barbari ad omnia tanquam divinitus imperata obedirent. *Front. lib.1. cap.11.*

Henricus II. Imperator movens exercitum in Ungaros, Varbergi, quà exercitum fortè ducebat, gladio Sancti Adriani, diu ibi pro reliquiis habito accingitur: Domine, inquiens, judica nocentes mihi, expugna expugnantes me, apprehende arma, & ſcutum, exurge in adjutorium mihi. *Hiſtor. Bambergenſis.*

Obſidebant Latini Arethuſam in Antiochenſium ſitam ditione. Saladinus ſperabat ſe vacuum milite Hieroſolymitanum regnum occupaturum, Balduino præſertim IV. Rege adoleſcente, & leproſo imperante. At Balduinus numinis inſtinctu inſidias ſubodoratus, Sacroſanctæ Crucis partem, quæ in urbe aſſervabatur, ſub ſignis ferri impetravit, & hoſtem ad Aſcalonem obvium factum cum ſuorum paucis maxima ſtrage fudit. *Æmil. lib.5. de Regib. Franc. Malmesburienſis lib.5. c.68.* ſcribit, Cyrum civem Hieroſolymitanum hunc theſaurum, avita ſucceſſione domi ſervatum, Chriſtianis obtuliſſet, quem illi exercitum prætulerunt.

Capta à Chriſtianis Antiochia Syriæ Metropol. Corbana Perſarum Princeps (Palatina Senſadolum Caſſiani Regis filium habet) novo exercitui ſuperveniens, victores gravi obſidione premebat. Jamque militum animis, & fame, & metu hoſtili fractis, nobiles Sacerdotes prodiere perſanctè aſſeverantes, ſe nocturna ſpecie admonitos, irent, nunciarentque ducibus, militibuſque, Deum optimum, maximum, flagitiis noſtrorum iratum, quòd non humana ope fuſo, fugatoque ad Nicæam Solymanno, beneficii cœleſtis immemores, minus reverentes ſuperum extitiſſent: eos caſtra, quæ initio velut templum fuiſſent, inceſtaſſe, impiæque religionis mulieribus ſe immiſcuiſſe, diſcrimine ſublato cuncta promiſcua feciſſe. Idcircò numen pœnas fame, concluſione, ac metu propinquæ mortis expetere cœpiſſe. Niſi ad frugem vita, mens ad ſanitatem redeat, ſecurim cervicibus imminere, quæ poſſit lachrymis, jejunio, ſacraque confeſſione placato numine averti. Petrus ſacerdos Maſſilienſis eadem ſibi quoque pectore obverſata dictitabat: & ad fidem faciendam addebat, per quietem ſibi divinitus in æde B. Petri demonſtratum locum, ubi altè obruta, additaque lancea latitaret, quæ Domini latus in Cruce confodiſſet: eam ſacroſancto ſanguine imbutam, de impiis triumphum, victoriamque daturam. Productus in concionem hæc diſſeruit, à legato jurejurando adactus rem ita ſe habere, ut & verbis concepiſſet. Myſteriis altaris peractis, itum reverentiſſimè ad prædictum à numine locum. Refoſſa lancea, ſub latus eſt multitudinis clamor, approbationis, religioniſque plenus. Laus Deo, gratiæque actæ: fides cœleſtis implorata. Indictum tridui jejunium; idque, quod egeſtas neceſſarium fecerat, oraculo ſanctum effectum. Sacra confeſſione flagitia expiata. Quarto Calendas Julias ſumma omnium alacritate arma capta Lanceam ſanctam legatus ferebat, ſancta ſpe animos replens. Matutino quidem tempore, ſed ſummo fortè æſtu, vix portis exierant, cùm ros ſolito uberior cœlo lapſus eſt: & id pro divino imbre à noſtris acceptum, non magis corporibus robur, quàm vires animo addidit, numen profectò huic aciei adeſſe. Plus centum millia hoſtium cecidere, noſtrorum quatuor circiter millia ducenti. Ad quinque millia camelorum cum oneribus, & magna commeatus vis capta, caſtraque omnis fortunæ, regiæque opulentiæ plena. Poſtridie arx amiſſa ſpe ſubſidii dedita, pacta ut ſine fraude, qui in præſidio erat, dimitterentur. *Æmil. lib.5. & Platina in Paſchali II.*

Vortimerus Rex Britannorum contra Saxones deſignatus, regni recipiendi ſtudio, quò magis augeret copias, Chriſti Crucifixi ſimulachro uſus pro vexillo, vocaliſſimos præcones jubebat, cunctos, veræ religionis amantes, ſe ſequi. Ad octoginta armatorum millia, ex ſacerdotibus, aliiſque ad veræ pietatis cauſam tutandam, Regi illico affuere, qui prioribus Vortimeri militibus conjuncti, egregiam de Saxonibus victoriam deportarunt. Saxonum millia decem prœlio deſiderata Cantium ad Britannos: regiones quædam trans Humbrum ad Scotos, & Pictos, uti fœdere erat cautum, rediere. Hengiſtus Saxonum Dux, qui ſe Cantii Regem appellare auſus fuerat, fuga ſervatus, cum reliquiis exercitus in Northumbriam, inventis navibus ad Humbri oſtia, cum nobilioribus Saxonicæ gentis, qui cladi ſuperfuerant, & Occa filio, in Saxoniam tranſmiſit. *H. Boeth. lib.8.*

Contra Othonem primum Cæſarem conſpiraverant Henricus frater, Giſelbertus Dux Lotharingiæ ſororius, & Eberhardus Comes, Conradi primi Cæſaris frater. Otho contra eos in Lotharingiam ducebat. Saxones cùm Rhenum audacter trajeciſſent, ab hoſtibus ex improviſo excipiuntur. Otho conſpicatus ab altera ripa ſuorum periculum, cùm ad traiiciendum navigia non adeſſent (caverat enim hoſtis) equo deſiliens, ſacram lanceam Conſtantinianam venerabundus flexis genibus adoravit, de cœlo ſuis poſcens auxilium, quando humana deficerent præſidia. Saxones in altera ripa laceſſere potiùs hoſtem, quàm pugnare poterant, pauci in multos. Itaque tenues quas habere equitum copias diviſere, ut medium hoſtem incertum facerent, quò ſe verteret. Erant inter Saxones, qui Gallicè ſonarent, Fuge, fuge. Hoc Lotharingi à ſociis proclamari arbitrati, fugæ præſidium quæſierunt. Henricus Regis germanus gravi vulnere accepto in brachio, quod anno vix integro potuit ſanari, & ipſe in fugam vertitur. Intereà miſſo celerrimè nuncio in ditionem Henrici, hujus victoriæ famam juſſit divulgari, cecidiſſe Henricum. Omnes proinde urbes ſe Regi dediderunt, præter Mersborg. & Schidingen. Henricus ſolis novem ex fuga recollectis, iterùm tranſmiſſo Rheno, in Mersborg ſe recepit. Rex illam obſidione preſſit. Poſt duos menſes Henricus dedita urbe in Lotharingiam abiit. *Crantz. lib.3. Saxon. cap.17.*

Uladislaus Bohemorum Princeps moriens, Sobieslaum fratrem natu minimum ſucceſſorem reliquerat. Id Otho indignè ferens, Lotharii Cæſaris auxilium impetravit. Caſtra Cæſaris ad Chlumecum vicum poſita: à quo loco, millibus paſſuum non ampliùs octo, Sobieslaus cum ſuis copiis diſtabat, mirante audaciam ejus Cæſare, quòd auderet ſe in campo opponere, cùm vix intra mœnia hoſtem poſſet ſuſtinere. Dubiis Bohemis an manus conferre deberent, prodit in medium Sobieslai Sacellanus cum haſta D. Vinceslai, quam ſecum attuliſſe ſomnio monitus dicebat, illaque ſublata, ac manu dextra vibrata, præibat in aciem. Eum Boemi ſecuti, ſtragem Germanorum inſignem ediderunt, occiſis paulò minus quingentis ingenuis, cùm interim tres duntaxat Boemi equeſtris ordinis deſiderati ſint. Memoriam victoriæ Sobieslaus, dedicata D. Venceslao corona auri duodecim, & argenti octoginta pondo, additoque militi donativo, liberaliter celebravit. Cæſar ad Sobieslaum miſit, qui ei pacem, & benevolentiam offerrent, ſi captivos, ſine pretio remitteret. Quod ille extemplò præſtitit. *Dubrav. lib.11.*

Cùm Sigismundus Imp. Pragenſes tribus locis adortus eſſet: Miſnenſes cum Saxonibus collem Ziſconis forti impetu adorti ſunt, per foſſas, & ſepes, uſque ad propugnacula tranſilientes: ubi duas quoque mulieres, pilis armatas obvias habuerunt, quæ mori, quàm loco cedere maluerunt. Ibidem Ziſco, Huſſitarum Dux, ingens periculum adiit, penè ab equitibus oppreſſus, ſi non ruſtici ipſius cum flagellis præferratis illos ſubmoviſſent. Quo diſcrimine cognito, quidam arripit corpus Chriſti, inſigne Thaboritarum belli, claſſicum campanula canit, ac mox turbam poſt ſe multam trahens, ad collem perducit. Illa viſa germanis diutiùs retineri in oppugnando, quanquam Sigiſmundus ſubſidia laborantibus ſemper ſubmitteret, non potuerunt, quin retrocederent, cum magno malo ſuo, alii ex colle metu præcipitati, plures in fuga interfecti, inſultantibus Thaboritis, perinde quaſi Antichriſti militibus, ac ſe continuò ad labores referentibus, ut ſi prælium redintegraretur, foſſas altiores, latioreſque, & plures quàm priùs munitiones haberent. *Dubrav. l.24*

Carolus V. Imper. Tunetana expeditione de Polemarcho ſollicitus, ubi neminem è ſuis ducibus ſatis idoneum eſſe vidit, vexillum Chriſti Crucifixi imaginem habens ſuſtulit: & Hic dux noſter erit, inquit, Rex Regum, Dominus Deus exercitum. *Ægidius Corrozet. de Dictis, & factis memorabilibus.*

Auxilii humani, Proditionis, Tranſitionis, Defectionis, Proditionis ſpe.

Xerxes expeditione contra Græciam ſuſcepta, multas gentes conduxit, dimiſſis paſſim, qui evulgarent, Principes Græcorum proditionem Græciæ moliri. Arbitrantes igitur ſe non ad pugnam, ſed ad manifeſtam victoriam evocari, promptiùs congregabantur. Multi etiam Barbari ſua ſponte ſe ſocios adjunxerunt. *Polyæn.*

Iphicrates, cùm paucos haberet milites, eoſque triſtibus, & abjectis animis præditos, volens audaciam, & confidentiam ipſis iniicere, inter cœnandum convocat manipulorum duces, ac centuriones: jubetque, ut quantum quiſque haberet, adferret, ſive argentum, ſive aurum, ſive ornatum, quaſi proditionem hoſtium facturus, & ad eam rem muneribus indigens. Poſtquam dediſſent, hoſtes aggredi ſtatuit. Qui attulerunt. Ille cum accepiſſet, teſſeram dedit Mercurium Philium, quaſi de hoc ſibi cum proditoribus conveniſſet: & parva interpoſita mora, milites adduxit. Qui credentes fore ut ſibi aliqui adverſarios proderent, audentiores ad faciendum prœlium extiterunt. *Polyæn. l.3.*

Pyrrhus à Roman. prœlio ſuperatus, amiſſis elephantis, ad Antigonum petendi auxilii cauſa legationem miſit. Cùmque non impetraſſet, præcipit legatis, ut omnibus contraria nunciarent: Antigonum ſe cum magnis copiis auxilio venturum promiſiſſe. Itaque Tarentini, omneſque Siculi, & Itali, deſerere Pyrrhum volebant, remanſerunt ſpe Antigoni ſocietatis. Pyrrhus in Peloponneſum expeditione ſuſcepta, Spartis omnibus per Arcadiam legatos de pace mittentibus perhumaniter eos recepit, ſuoſque filios ad Spartiatas miſſurum pollicebatur, ut Lycurgeis diſciplinis imbuerentur. Hæc legatis Spartam renunciantibus, Pyrrhus cum exercitu infeſto acceſſit. Incuſantibus Spartanis eum alia, quàm prædixerat, facere, ridens ait: Neque enim vos conſueviſtis prædicere ſi cui bellum vultis inferre. Itaque ne malè vos habeat, ſi contra Lacones uſus ſum Laconico ſtratagemate. *Polyæn. l.6.*

Fulvius Nobilior, cùm adverſùs Samnitium numeroſum exercitum, & ſucceſſibus tumidum, parvis copiis neceſſe haberet decertare: ſtimulavit unam legionem hoſtium à ſe corruptam ad proditionem, impetravitque (ad ejus rei fidem) tribunis, & primis ordinibus, & centurionibus, quantum quiſque nume-